


#113. On the Nature, Cause, and Treatment of Dropsy and Mainly the Determination of such Signs which give a Precise Indication of the Different Kinds of Remedies which are Always the most Useful and Especially for the Different Kinds of Dropsy.

"Dissertatio medica. De Hydropum variorum indole, causis et medicina seu solutio Problematis ex sententia Cl. Menureti de Montélimart, à Regiâ Societate Medicâ Galliae ad 29 Aug. 1780 propositi." Mémoires de la Société royale de médecine 7 (1788): 46-156.



INTER innumerabilia Medecinæ objecta nullum omnino reperiri potuit, neque caussarum varietate & signorum ambiguitate difficultius, neque ratione partium diversissimarum, quas occupat, extensem latius, quam hydrops ille multiplex, cuius perspicuam explanationem, ut votis Cl. Menureti legitime satisfiat, illustris vestras Societas cum maxime desiderat.

Tristia hujus morbi fata per septem, & quod excurrit, lustra observare & lugere mihi contigit, adeo ut jam

(1) M. Camper a partagé, le 27 août 1782, le Prix proposé sur cette question avec M. Barailon, associé régnicole à Moulins.

dii expertissimi inter veteres medicos *Aretæi cappadocis* enunciato subscripto : ab *hydropsi* per paucos liberari, idque felicitate quædam, ac deorum potius quam artis auxilio!

Horresco, quoties in mentem revoco famam & sitim inexplebilem, quibus toties excruciantur miseri! representarem vobis, Viri Ill., Antigoni Regis amicum, cuius factum C. A. Celsus memoriae prodidit, nisi vobis cognitum & multis haud dissimilibus jam dudum comprobatum esset. Nihil sane tristius, nihil generoso medico injundius, quam insanabilibus frustra opitulari morbis. Hydrops, o utinam solus inter eos esset recensendus! Plurimæ nimis aggritudoes, ex variis caussis oriundæ Medicinam admittunt nullam, dum reliquæ specialia remedia non nisi rarissime agnoscunt.

Societas vestra, ultra 1700 specifica Parisiis tamquam inutilia & periculosa summo jure proscripsit! Si cinchonæ corticem, si opium, & argentum virum excipiamus, quænam quofo specialia probata dici merentur? Ipsa filicis radix, veteribus cognita, saepe spem fallit; tam tardis limitibus ars medica circumscripta est, & tam inepta atque ingrata medicorum ad morbos debelandosura!

Aliqui autem morbi vel generalioribus auscultant remediis, vel dignoscuntur tam facile, ut attentus medicus aliquando, & sibi ipsi satisfacere & ægris prodesse possit. Infelix vero semper hydrops, curatu, æquè arque cognitu difficilis!

Hydrops corporis nostri cava quævis occupat, caput, oculi bulbum, dorsi spinam, thoracem ac pericardium, abdomen, ovaria, testiculi & ejus funiculi tunicas: nulli ætati, nulli parcit sexui. Quid moror! Caput ipsum, spina, thorax, & abdomen sepiissime, antequam nati simus, hydrope turgent. Colligitur etiam lympha intra articulos, maxime intra genu & coxae acetabulum, intra tendinum vaginas, quas tam, quam molles articulos considerare

possimus. Sæpe marsupia ad genua cubitosque sub cuto ad faciliorem motum ab industriosa natura data horribiliter distendit, atque folliculos sub musculis sitos. Aliquando inter duplicaturam aponevrosis muscularum abdominalium instillatur: frequentissime autem abdomen ultra modum implet & ascitem format ingentem!

Ascites tamen non simplex, non primordialis est morbus, sed, quemadmodum *Aretæus* pronunciavit, *morborum omnium vitium*: quamobrem ingens mortuorum numerus ex hydrope quotannis in majoribus civitatibus observatur; adeo ut hydrops mortis nuntius potius dici mereatur quam morbus. Interea non unicum, non singularem hydropis speciem proponit neque collineat Regia Societas, sed explanationem querit indolis, caussarum, mechanismi, & curationis hydropis in universum, desideratque cum maxime, ut exponantur signa & præsidia in singulis speciebus necessaria.

Sonat enim ita problema: *exposer la nature, les causes, le mécanisme, & le traitement de l'hydropisie, & sur-tout faire connoître les signes, qui fixent d'une manière précise les indications des différens genres de secours appropriés aux divers cas & aux diverses espèces d'épanchemens?*
 « Indolem, caussam, mechanismum & curationem hydropis exponere, maxime signa, quæ indicationem diversis simorum præsidiorum in singulis circumstantiis & species idoneorum evidenter exhibent ».

Solutio hujus problematis, Viri Illustrissimi! est, quemadmodum in initio monuimus, ex difficillimis, sanationem quippe ex Medecina rarissime, ex Chirurgia aliquando recipit vitium. Ejus indoles autem & remediorum legitima indicatio, non nisi ex Anatome, tamquam unico & non errabili diagnoseos fonte haurienda! In arenam tamen cum ceteris descendere ausus sum, ut palmam, si fortuna juvet, attingam, quoniam nulla non datur hydropis species, quam non sæpius, & pro viribus, satis accurate, observare licuit; adversus omnes medicamentis

camentis non modo pugnavi, sed & ferro; propria enim manu Chirurgicas curationes administravi & earum omnes modos exploravi, ut sine præjudicatione tutissimum eligerem. Neque defuerunt occasiones incidendi hydropicorum diversorum emortua corpora, adeò ut non sine probabili spe, quid humeri in hac palæstrâ ferre valeant, tentare ausim. Addit præterea stimulum vestra humanitas; addit & sapientia vestra! impossibilia enim non requiritis, sed cuivis libertatem conceditis ignorantiam fatendi, quotiescumque artis limites supergreditur problema. Fabulas idcirco mittam omnes atque ex experientiâ, tanquam unico & immutabili veri fonte, pro hydropticis sanandis medicam disciplinam, quam rogatis, depropositam. Tyronibus autem hæc, qualiacumque sint, non destinata sunt, sed vobis, Viri Celeberrimi! & peritis in arte. Non enim didacticam explanationem desiderastis, sed regulam & normam tutò procedendi in diversis hydropis speciebus.

Hydrops igitur per diversa corporis cava prosequar, deinde species varias in singulis de industriâ explanabo, tandem marsupiorum diversorum & articulorum hydropses. In omnibus autem hunc servabo ordinem, ut adfectum eorum primum, colluviei naturam secundo, signa tertio & curationem ultimo explicem, in quibus omnibus brevitatem ambitiousè adfæctabo. Vobis interea, Viri Celeberrimi! hanc qualemcunque dissertationem commendo.



DISSESSATIO MEDICA

De Hydropum variorum indole, causis & medicinâ.

CAPUT PRIMUM.

De Hydrope capitis & spinae dorsi.

S. I. **HIPPOCRATES** de aquâ intrâ Caput ita scribit:
 (a) *aqua si in cerebro suborta fuerit, Ηγερτης τῷ ιγκιφαλῳ γένεται, ita tamén, ut in adulto secus sano contingat, adhibitis medicamentis si non sanetur, Caput ad cerebrum ipsum perforandum esse.* Hydrocephali autem mentionem primus fecit *Celsus* (b), sed alio sensu, ubi humor cutem inflat, eaque intumescit & prementi digito cedit, ιδροκεφαλον græci adpellant. Ad sanundum (c) vero necessarium esse, *Caput tonderi ad cutem: deinde imponi sinapi, sicut exulceret: si id parum profuit, scalpello, utendum esse.* Manifestum est, eum anasarcam capitis solam collineasse. *Aretæus cappadox* (d), qui dubio procul *Celso* coœvus saeculo ante *Galenum* vixit, deinceps hydrocephali vocabulum adhibuit. *Galenus* autem, sive eodem tempore, sive paulò post florere cœperit, hydrocephalum latius extendit in definitionibus medicis. Hunc *Ætius* (e) & temporis progressu alii seculi adfirmarunt, esse humorem aqueum, collectum in ipsis ventriculis cerebri vel inter

(a) Lib. II. de morb. Ed. Foëf.
Tom. I. p. 466. 30.

(b) De Medicinâ. Lib. IV. C. II.
p. 187.

(c) Ibid. p. 189.
(d) Diuturn. Lib. II. C. I. p. 5¹.

(e) Ed. Boerrhaavii.
(e) Lib. VI. C. I.

duram & piam matrem, vel per cellulosam cutis faciei membranam dispersum.

Oportet igitur, ut ultimam speciem ad anasarcam referamus, primam in adultis & infantibus consideremus, etiam in nondum natis; nam etiam & hos non raro misere adficit. Alteram, quæ secunda, speciem numquam observatam novimus. *Morgagnus* enim, qui multorum observationes suasque proprias collegit, non modo signa aquæ inter meninges contentæ, dubia statuit (*a*), sed tandem non dati concludit.

Hydrocephalus autem quomodo in adulto, nisi post mortem cognosci possit, omnino non concipio: divi senis placitis contradicere vix audeo. Suspicor tamen ad cephalalgiam potius spectare symptomata, quæ enumeravit, quam ad capitis hydropa; ex ventriculo turbato enim pluriæ similia contingunt, *capitis dolor* scilicet, *oculorum caligo*, *pupillæ scissio*, *sic ut ex uno duo sibi cernere videantur*, &c. Quæ omnia ad capitis hydropem *Hippocrates* reducit. Remedia vero ad vertiginem ex ventriculo male adfecto convenientia commendat, maxime vomitoria & purgantia; postea inciso capite juxta sinciput ad cerebrum usque perforato. Sed quis hodie, si plura & magis evidentia non urgerent, illicò ad acum cannulatam; seu ad terebram, confugeret?

Memini me viginti duobus circiter elapsis annis, jussu magistratus, viri adulti in diversorio protinus mortui, Caput aperuisse, atque ingentem aquæ limpidissimæ copiam ex infundibulo (nam omne cerebrum & cerebellum simul & semel exemeram), effluxisse! huic colluviei subitanæ non dubitavimus mortis causam tribuere, quoniam corpus reliquum erat sanissimum, uti & cerebrum; sanam etiam mentem habuerat, dum ingrediebatur homo diversorium & tanquam fulmine iectu ceciderat.

(*a*) De sed. & cauf. morb. p. 93. §. XIII. & XCIIV.

Latuisset omnino mortis causa, nisi cranium fuisset apertum, adeo verum est, hydrocephalum in adultis non nisi post obitum posse dignosci.

s. II. In infantia vero & crebrius occurrit, & ingenti capitis tumore se manifestat, adeo ut *Warnerus* (a) sex pintas seu 120 uncias ex capite infantis 9 mensium, circumferentiae 29 pollic. post mortem eduxerit, medullæ cerebri crassitie non superante crassitatem 4 vel 5 foliorum chartæ flavæ seu fuscæ, & *Pechlinus* centum & quinquaginta tres uncias lymphæ in cerebro repererit (b), *Tulpius* (c) in quinquennis capite libras quinque intra ventriculos cerebri; unde medulla cerebri adeo fuit compressa, tamquam si cerebro careret. Filia *G. Ravor* (d) nascebatur 1755 non sine difficultate propter hydrocephalum $\frac{1}{3}$ majorem quam Caput naturale; is, octo diebus elapsis, adeo incipiebat turgere, ut pelluceret. Circumferebatur à parentibus per Galliæ provincias filia 19 menses & $\frac{1}{2}$ nata. Præter universalia etiam oculum palpebram inferiori habebat tectum; Caput vero adplanatum ad latera & pellucidum adeo, ut processus falciformis & vasa sanguifera conspicere potuerint. Moriebatur ætate 19 mens. & 21 dierum. Circumferentia capitis tum erat 24 poll. Continebat 8 libras aquæ limpidissimæ, seu 96 uncias. Medulla cum cortice vix latitudinem habebat. Cerebellum erat sanum. Nolo vobis citationibus pluribus esse molestus, ad *Schenkios*, *Mangetus*, *Bonetosque* vos relego potius, imprimis ad *Morgagnum* (e), qui *Zwingerum* laudat, quamquam (f) paucas observationes novas dedisse mihi videatur; id autem observatum à *Morgagno* (g) puellis saepius quam puerulis contingere, quod mihi non

(a) B. Goeh cases and pract. remarks in Surgery Vol. II, p. 38.

(b) Ex Halleri suffragio Physiol. Tom. IV. p. 44.

(c) Lib. I. C. XXIV. p. 45.

(d) Mém. présentés à l'Acad. Royale des Sciences, p. 439 &c. Tom. IV,

1763.

(e) De sed. & caus. morb. Ep. 11. p. 87.

(f) Act. Helv. Tom. I, in initio.

(g) Ib. p. 88, §. VI.

ita visum fuit; id autem notatu dignum, in Italia rarissimum esse vitium (a).

Admiratione vero summâ dignum est, ingentem aquæ copiam ad libras ij. v. gr., quem ad modum à fide dignissimo *Tulpio* (b) observatum est, in alterutro cerebri ventriculo posse contineri! quum ambo sub fornicis cruribus inter se uniri videantur, & cum ventriculo tertio. Celeb. *Hallerus* (c), qui diligenter ad hoc phænomenon attendit, se leniter impulso aëris flatu, numquam transitum ex dextro cerebri ventriculo in sinistrum obseruasse notat, atque *Stenonis* & *Senacci* suffragio confirmat. Multorum sane hominum & animalium cerebra incidi, nunquam autem aliquod sepimentum membranaceum, ne subtilissimum quidem, vel arachnoideum observari; credibile tamen est aliquo modo iter illud claudi posse, secùs lympha in hydrocephalis semper omnes ventriculos inpleret.

s. III. Nascuntur infantes haud raro ingenti hydrocephalo conspicui, dehiscentibus omnibus Suturis; aliquando tumor insolitus ex interstitio inter magnum foramen ossis occipitis, & ejus squamam exoritur, quale anno 1761 vidi, & curiositatis gratiâ delineavi; aliquando ex alterutro latere capitis, quale exemplum anno 1768 iconे illustravi. *A. Gooch* (d) quoque mentionem facit tumoris, ex occipite pendens, vesicæ instar, sub quo ossis deficientia manifesta erat. *Ruysschius* (e) similem tumorem, mole totum foetum superantem, memoriae prodidit: ad spinam bifidam autem de quâ post modum agendum, mihi potius pertinere videntur.

In primâ hydrocephali specie à nativitate vel paulò post oriundâ futuræ sæpiissimè ita dehiscunt, ut laminæ orbitales omnem fere propter nimiam extensionem amittant angulum, quem faciunt cum osse frontis. Orbitarum

(a) Ib. p. 95. 5. XV.

(b) Lib. I. C. XXV. p. 47.

(c) Ib. p. 42.

(d) Ib. p. 39.

(e) Obs. anat. chirur. Lib. II.

p. 69.

igitur cavitatibus amissis oculi propelluntur foras & deorsum, adeo ut, quum adtolli nequeant, palpebra inferior eos pro parte dimidiâ ad centra pupillarum usque obtegat. Idem phænomenon etiam in puella *G. Rayot* supra memoratum est. Ex hoc solo signo, reliquâ capitis parte obiectâ, hydrocephalum verum dignosco.

Egregium hujusmodi cranium Gottingæ in celeberrimi *Wrisbergii* museo anno 1779 vidi & delineavi.

Mensuras capitum hydrope vitiatorum ab aliis traditas repetere nolo, sed quas ipse in observationibus meis notavi: vidi, quorum circumferentia erat $21 \frac{1}{2}$ poll. 23 & 25 poll.: quatuor adcurate delineavi, vidi plura. Omnes illi infantes eamdem habebant externam faciem, symptomata similia. Omnes intra breve tempus moriebantur, paucis exceptis, de quibus nunc agendum.

s. IV. Contingit, licet raro, ut ad maturitatem usque vivant, quemadmodum ex *Riedlino* (a) patet, qui se quēmidam novisse, qui per 24 annos hydrocephalo laboraverat, testatur. Ipse vidi in museo celebris Chirurgi cranium integrum, amplissimumque, circumferentiæ 27 pollicum ad minimum, in quo dentes omnes non modo, sed etiam sapientiæ dicti, conspiciebantur, argumento ad maturitatem perventurum fuisse, dum in vivis esset, ægrum: robustissimi enim hominis cranium raro peripheriam 24 pollicum nanciscitur. Conservo in museo meo cranium adolescentis, cuius circumferentia est $23 \frac{1}{2}$ poll. *Cl. Triænius* (b) cranium 23 poll. delineat puellæ, quæ ad 14 ætatis annum vixerat. Notandum autem in cranio hujus puellæ, in illo, quod in museo adservo, in illo Chirurgi memorati, in cranio, quod Berolini in museo *Cl. Waltheri* vidi, nullas reperiri futurarum dehiscentias, sed ossa triquetra, Wormiana, tum ad bregma, tum ad occiput conspici, unde colligere licet.

(a) Vid. Morgagni. Ib. p. 93. s. XIII.

(b) Obs. med. chir. p. 23.

I. Infantes hydrocephalo, dehiscentibus futuris, labores haud diu, id est, raro ultra tres vel quatuor annos victuros.

II. Eos è contrario , quorum futuræ clausæ sunt, ad maturitatem usque vivere , licet raro ultrà ætatem pro- videntam.

§. V. Infantes ut plurimum hoc vitio nascuntur, vel post nativitatem subito se manifestat, & raro à causa externa produci videretur. Memoriæ tamen prodidit *Triœnius* (a) puellam octimestrem, ex vi capiti adlatâ, in horrendum illud incidisse vitium. Causa ut plurimum, nisi à nativitate, celatur.

Tumorem autem ab aquosa colluvie produci nullum est dubium : sed undenam tanta lymphæ copia & tam subito generetur , ænigma videtur. Ex vasis lymphaticis disruptis vel alio modo vitiatis humorem hunc derivarunt , aliqui quoniam permulta vasa lymphatica in cerebro se reperisse *Nuckius* (b) , etiam alii adfirmant , quamquam de iis summopere dubitaret *Hallerus* (c). Id certum , in omnibus cavis corporis nostri naturaliter rorem secerni , quo parietes cavorum à concretione defenduntur , & alias utilitates excipiunt. Cognitum etiam est omnibus Anatomicis in cadaveribus lentâ morte extinctorum haud raro aliquam reperiri lymphæ copiam , in cerebri ventriculis collectam ; sed tantam , ut ad libras V quemadmodum *Tulpio* , ad IX , uti *Vesalio* videre in septimestri contigit , vel ad lib. XII veluti *Pechlino* , sine admiratione recensere vix possumus.

In hydrocephalio, quos post mortem aperire mihi licuit, aquam omnem intra ventriculos anteriores cerebri reperi, adeo ut medulla ad tenuitatem stupendam quidem fuerit compressa seu expansa, sed ceterum sana. Nunquam inter meninges aquam observavi.

(d) 1b, p. 24.

(b) De inventis

(c) Physiol. Tom. IV, p. 182 & suiv.

XLV. 3 MAY AND 6 JUNE

I. Infantes hydrocephalo, dehiscientibus futuris, laborantes haud diu, id est, raro ultra tres vel quatuor annos victuros.

II. Eos è contrario, quorum suturæ clausæ sunt, ad maturitatem usque vivere, licet raro ultrà ætatem proiectam.

§. V. Infantes ut plurimum hoc vitio nascuntur, vel post nativitatem subito se manifestat, & raro à causa externa produci viderur. Memoria tamen prodidit *Triænius* (a) puellam octimestrèm, ex vi capiti adlatâ, in horrendum illud incidisse vitium. Causa ut plurimum, nisi à nativitate, celatur.

Tumorem autem ab aquosa colluvie produci nullum est dubium: sed undenam tanta lymphæ copia & tam subito generetur, ænigma videtur. Ex vasis lymphaticis disruptis, vel alio modo vitiatis humorem hunc derivarunt, aliqui quoniam permulta vasa lymphatica in cerebro se reperisse *Nuckius* (b), etiam alii adfirmant, quamquam de iis summo-pere dubitaret *Halterus* (c). Id certum, in omnibus cavis corporis nostri naturaliter rorem secerni, quo parietes cavorum à concretione defenduntur, & alias utilitates excipiunt. Cognitum etiam est omnibus Anatomicis in cadaveribus lenta morte exinctorum haud raro aliquam reperiri lymphæ copiam, in cerebri ventriculis collectam; sed tantam, ut ad libras V quemadmodum *Tulpio*, ad IX, uti *Vesalio* videre in septimestri contigit, vel ad lib. XII veluti *Pechlino*, sine admiratione recensere vix possumus.

In hydrocephalis, quos post mortem aperire mihi licuit, aquam omnem intra ventriculos anteriores cerebri reperi, adeo ut medulla ad tenuitatem stupendam quidem fuerit compressa seu expansa, sed ceterum sana. Nunquam inter meninges aquam observavi.

(a) Ib. p. 24.

(b) De inventis novis. p. 149 & 150.

(c) Physiol. Tom. IV. p. 182 & suiv.

§. XLV. 2. 112. 113. 114. 115. 116.

Congruit hæc *Vesalii* observatio cum illa *Tulpæ*, quam antea citavimus de pueri quinquenni, cuius cerebrum libras quinque aquæ continebat: *cerebrum*; hæc sunt magni viri verba, non defuisse, sed amissa figura globosa induisse formam conyexi fornicis, & medullam adeo fuisse distentam, ut instar alicujus crassioris membranæ adhæresceret undique. — *Integra mentis fuere munia*, quod omnes mirabantur, quia secus quicquid comprimit, laedit sensus celeriter.

Aliquoties etiam hydrocephalicos mentis compotes vidi, & admiratus sum. Videtur medulla cerebri quidem expandi, sed nullo modo comprimi ac compingi posse. Plurimi tamen hebetes sunt.

§. VI. Causa igitur vera hydrocephali quænam? an exhalatio seu secretio copiâ peccat, an vero resorptio? Extenuatio medullæ cerebri, ossium expansio, dehiscientia & suturarum amplitudo sequelæ sunt haud ullis continendz remediis. Deligatio igitur capitis per fasciam, Rhombum *Hippocratis* à *Galeo* dictam (a) & descriptam, mortem accelerare debet necessariò, vel paralysin extremonrum producere, aliaque symptomata, uti convulsiones certaque ex compresso cerebro oriunda.

Præcipua indicatio proinde mihi videtur, ut nihil agamus, ne misellorum sortem pejorem vel vitam breviorem reddamus.

Accidit aliquando, ut satis hilares maneant per duos vel tres annos, loqui & incedere incipient & nullis convulsionibus excrucientur, uti pueri accidit, quem delineavi & cuius capitis circumferentia secundo ætatis anno erat 24 pollicum. Contrarium vero plurimorum fatum est; à sonis fortibus enim & ab inordinato capitis motu à nutrice producto, atque ab aliis accidentiis vix conspicuis sæpe horribiliter adfliguntur. Multorum pedes paralyticci, aliquando & brachia; non raro à capitis pondere eximio spina incurvatur, & gibberosus redditur

infans. Nullum interea extremonum aut corporis incrementum.

Puer à *Triænio* memoratæ corpus, ab infortunio recepto ad mortem, quæ post tredecim annos contigit, nullum omnino incrementum ceperat. Puer è contrario, cuius prospera fata memoravi, ultrà duos annos natus, trium pedum proceritatem acquisiverat, adeò ut nihil in his sit perpetuum & stabile; quanquam in universum capitatis mollities, futurarum dehiscentia, defectus in ossibus parietalibus; & diversæ inde natæ cerebri herniæ brevi, uti §. IV indicavimus, lethalia sint.

§. VII. Desperatum illud igitur vitium arbitror: non me fugit *le Cattus* ad *Hippocratis* exemplum, incisionem seu paracentesin proposuisse, quam lethalem non equidem judico, sed nullo modo commendabilem, quoniam aquosa colluvies quidem ea ratione extrahitur, sed causa non tollitur. Accedit, quod collabentum ventriculorum parietes, inæquabiliter à collabentibus ossibus & membranaceis futuris compressi, mala permulta ipso vicio pejora producere debeant: totum enim atmosphæræ pondus in has partes agit. Etiam non juvat, si guttatum vel pervices emolimur aquam, quia fistulâ metallicâ in vulnere relictâ aperturam perviam servare non licet propter visceris tenuitatem. *Hippocrates* perforationem commendabat, quoniam inter meninges collectas aquas sингebat. *Le Cattus* anno 1744 infanti hydrocephalico 3 $\frac{1}{2}$ mensium, parentum jussu, caput perforavit instrumento de industriâ ab eo composito; primo die 4 vel 5 uncias per cannulam evocavit; altero die similem copiam, tertio die minus bene valebat infans, quarto die iterum 5 uncias evacuabat, sed moriebatur sub sequente nocte; aqua intra ventriculos collecta fuerat (a). *Le Cattus* interim cerebri corticem & medullam perforare debuit necessariò, quod absque periculo fieri posse sclopetaria vulnera & globi plumbei

(a) Journal de Médecine, Tom. XIII, p. 247. — Tome VII.

per multos annos intra cerebri substantiam servati demonstrant.

(a) Differt autem cerebrum sanum à globo pertusum à cerebro extenuato, post perforationem collapso, & ab omni parte à tota atmosphera compresso, adeo ut *Morgagni* fidem habendam esse censem, qui (*a*) ex *Paracelsus*, ex *Fabricio*, ab *Acapendente* & ex *Scheuchzer* omnes infantes post aperturam hydrocephalorum esse mortuos adnotavit.

Testatur similiter *Tulpius* (*b*) inustionem à Chirurgo frustrà factam & vanam fuisse.

(c) Non ignoro, nuper à clarissimo Anatomico *Cruikshankio* mentionem factam exemplorum recenter captorum circa hydrocephali curationem cum frictione mercuriali (*c*): sed exempla hæc, licet maximi momenti sint, nondūm dilucidè exposita inserviunt tantum, ut demonstretur adtenuatam lympham ex ventriculis cerebri absorberi posse. Etiam nullæ morbi circumstantiæ exponuntur, adeo ut certi omnino nihil determinet hæc adsertio.

Concludo igitur, immedicabile vitium esse, in quo collineandum unicè, ut vitam, quantum fieri possit, tranquillam reddamus, cura igitur nutricis perpetua, situ commodo, & horizontali, pileis ex corio confectis eget infans, ne ex decubitu cerebrum inæquabiliter compressum dolorem creet, atque convulsiones. Infelicem vidi, qui ex vicinitate campanarum perpetuo fere sonantium horribiliter conveltebatur; auditum etiam in omnibus alacrem observavi: omne igitur quod mentem perturbat amovendum.

Transire verò nequeo hanc admonitionem, hydrocephalum ingentem, egressum fœtus omnino impedientem,

(*a*) Ib. p. 93 & 94. §. XIII.

(*b*) Ib. C. XXV. p. 47.

(*c*) An essay on the cure of abscesses by caustic. — Also, a new method of curing the lues venerea — To Which

are added Mr. Cruikshanks remarks

— On the absorption in the human

body by Peter Clare Surgeon. 2^d. Edin.

1779, m-S. p. 17.

per acum cannulatam , maximè illam à *Cl. Flurantio* propositam , ad vesicam per anum perforandam , exhaustiri posse ; cavendum tantum esse , ne mater lœdatur : mortui enim omnes hi nascuntur infantes . Videtur mihi forficiis acuminibus tutissime aperiri . *Cl. Astruccius* (a) autem acum cannulatam ordinariam minus periculosam censet .

Finem nunc imponere possem huic materiae , nisi nuper in Anglia hydrocephali interni , tamquam novi morbi , historia industriosè fuisse proposita .

§. VIII. Hydrocephalum hucusque descriptum propter signa externa , quibus manifestissimum est , tanquam *externum* , licet impropiè , considerarunt celebres aliqui inter Anglos medici ; *internum* autem vocarunt , quem nunc adgredimur , quoniam tectus non nisi ex solis symptomatibus cognoscitur .

A Clar. *Whyttio* hoc nomen inditum est , à *Cl. Fothergillio* deinceps , denique à *Watsono* . Doleo , quod in bibliothecâ meâ , satis amplâ secùs , *Whyttii* librum , quo hunc funestum morbum describit , neque possideam , neque ab ullo alio mutuare potuerim . Ut idcirco debui *Cl. Joh. Fothergilli* *Watsonique* descriptionibus , in IV. vol. medic. obs. and inq. §. III & §. VI reperiundis , quorum doctrinam ob singularitatem adjiciam . Nunquam enim videre mihi contigit ullum hydrocephalum in adulto internum , nisi cuius mentionem feci §. I. hujus capituli , qui nihil commune habuisse videtur cum terribilibus iis symptomatibus , quibus excruciani dicuntur hoc novo morbo affecti .

Circa sedem , symptomata & fatalem morbi exitum cum *Whyttio* se consentire fatetur *Fothergillus* (b) . Uterque infantes raro intrâ tertium annum invadere docet , frequenter inter 5 & 10 annum , aliquibus tamen anno 13 , 17 & 19 accidisse , inter eos quatuor fuisse puellas ,

(a) L'Art d'accoucher réduit à ses principes , p. 198 & 199. §. I. n° 3.

(b) Ib. p. 4. §. VII.

pueros reliquos. Contrarium itaque interno quod externo contingenteret. Notavimus enim ex *Morgagno* puellis cerebriorem hydrocephalum externum.

Adnotavit *Cl. Huckius*, ex *Fothergillii* suffragio, se abis vel ter in adultis hanc ægritudinem observasse. *Watsonus* autem & *Fothergillus* infantes in hanc hydrocephali speciem proniiores esse adseverant, quamquam etiam in adulto 25 annorum se eam observasse testetur *Watsonus* (a).

Conveniunt omnes in eo, fatalem semper fuisse morbum: ex 20 quippe nullum sanatum vidi. *Whyttius*, nullum *Fothergillus*, nullum *Huckius* aut *Watsonus*; sanitatem igitur nullum recuperasse omnes uno adfirmant ore.

§. IX. Eadem analogiâ ratione symptomatum à quatuor viris observata fuit. Caput omnibus vehementer doluisse, adeo ut exclamaverint sàpius inter suspiria: O! caput meum! ceterum, verium omnia habuisse signa, oculorum pupillas valde apertas, semi-paralyticas palpebras, strabismum aliquando, spasmos oris, convulsiones, &c. tandem mortem evenisse omnibus!

Fothergillus valde prolixus mihi fuisse videtur in enumeratione symptomatum, quæ omnia satis clarè indicant ex adfecto cerebri plurima posse explanari, atque ex adfectis intecostalibus, oculorum & maxillæ nervis. Nemo enim ignorat, capitis vulnera stomacho sàpe gravia adferre pathemata. Non sine admiratione propterea videre possumus, *Fothergillum*, yirum perspicacissimum, solis evanuantibus sanationem tentasse (b), calomela vi. gr. Rheo, scamnoneo, tartaro emetico, &c.; nisi *Watsoni* ad instar & aliorum, purgantibus, stimulantibus, diureticis & hydragogis lymphæ in cerebri ventriculos effusæ absorptionem atque foras eliminationem fuerit molitus? Commendarunt insuper, quo scopo non video, quia omnibus exitialis fuit morbus, vesicatoria & sinapismos.

(a) Ib. p. 86.

(b) Ib. p. 52 & 53.

§. X. Quoniam omnes lympham in cerebri ventriculis & uti *Huckius* in thecâ vertebrarum copiosiorem justo viderunt & intestina adfecta; summopore miratus sum, quod omnia illa prosecuti non fuerint in iis, quorum cadavera examinare licuit.

Watsonus interea Chirurgiam ad aquam extrahendam non minus fatalem fore animadvertisit, quam in hydrocephalo externo (a) & in spina bifida. Quis autem unquam de tali encheiresi cogitaret? quis posset? quum aditum nullum tutum habeamus ad illa loca interna!

Admirationem interea non meretur, quod aquam in ventriculis cerebri atque in theca vertebrali justo copiosierit *Huckius*, & in omnibus cerebri cavis *Hewsonus* (b), quoniam haec omnia inter se communionem habent. Dolendum vero, quod satis adcuratam anatomen non instituerint, quodque dubia maxime & omnino conjecturalis sit eorum circa novum hunc morbum doctrina.

§. XI. Summo jure mihi videtur ingens *Morgagnus* spinam bifidam eamdem hydropis speciem indicasse atque hydrocephalum, quapropter ejus historiam immiscuit descriptioni hydrocephali in Epist. XII (c) vitium illud interea magnam admittit diversitatem; est autem in quam plurimis tumor mollis, haud raro perlucidus, oriundus ex interiori specu vertebrarum, in nucha, in medio dorso, in inferiori, in lumbis & sacro osse; aliquando duobus in locis, quas varietates omnes videre mihi licuit; aliquando integrum occupat spinam, cuius *Bidious* (d) historiam & figuram dedit. Similem in monstroso fetu conspexisse videtur *Valsalva* (e), quemadmodum etiam mihi contigit.

Etiamsi haud raro intortis pedibus nascantur, qui spina bifida adfecti sunt, quemadmodum *Stalpartus* *Vander*

DE SPINA
BIFIDA.

(a) Ib. p. 87.

(b) Ib. p. 81.

(c) P. 87.

(d) Exercit. anat. Chir. Dec. 2.

p. 191. Tab. 3 & 4.

(e) *Morgagni*. Ib. Ep. XLVIII. §. L.

62 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

Wiel (a) animadvertisit; tamen deformitas illa non omnibus evenit, uti *Morgagnus* adnotavit (b) & in permultis mihi observare licuit.

Per transennam etiam notare oportet, non ab imaginatione matris produci, quemadmodum multi somniarunt. Hanc sententiam merito ridiculam existimavit *Morgagnus*, neque etiam refutatione hodie eget; postquam absurditatem virium imaginationis gravidarum in fetus suos tam egregie exposuit *Blondellus*.

Interim ut redeamus, unde digressi sumus; ex duplice processuum spinosorum serie spina bifida vocata fuit, etiam habitâ pro verâ, vertebrarum dehiscentiâ, uti non modo Anatomicis fere omnibus, sed & *Morgagno* placuit (c); etiam *Hallero* (d), qui spinosorum processuum divisionem aquæ nimiæ copiæ tribuit. Re ritè examinatâ videtur ex solo defectu partium intermediarum, juga cum spinis vertebrarum formantium oriri; id in variis vidi; multas enim dissecui, & servatis in museo meo spinis bifidis evidenter demonstrare possum.

Estque non tantum defectus in vertebris, sed & in integumentis, quæ, quum omnia deficiunt in affectâ parte, tenuem membranam, rubellam, medullam spinalē obtegentem commonstrant; uti vero cutis quodam modo remansit, crassiorem & coloris varii tunicam, nunquam cutem veram offert, nisi parvus esset defectus; qualem in infante anno 1771 conspexi, ubi duplex erat, in lumborum inferiore parte tumor ovatus satis magnus; in medio dorso alter vix eminens, cum priori omnino communicationem habens; compresso enim majori turgebatur minor ad oculum, & compresso minori elevabatur major vicissim; ex compresso majori etiam caput turgebatur, quod in aliis similiter observavi, adeo ut eamdem lympham continere manifestum sit.

(a) Part. I. Cent. 2. Obs. 34.
(b) Ep. XII. p. 95.

(c) Ib. Ep. XII. p. 90. §. IX.
(d) Ib. p. 87. §. IV.

Quandoquidem defectus est in ipsa organica structura, mirari non oportet, à nativitate conspici, & mortis certæ in quamplurimis esse indicium, dummodo singulares excipias casus, quibus ad statum adultum pervenisse aliquos sed paucissimos probare licet.

Interea etiam deficiente occipitis osse, prope ejus foramen magnum tumor, vel ex latere capitis oriundus, quorum mentionem feci §. III, ad spinam bifidam pertinet; aliquando toto fere occipitis deficiente tumor ingens nascitur, cuius *Warnerus* (a) exemplum exhibuit ex infante bienni. Is autem, tumore ab imperito Chirurgo extirpato, subito fatum subiit.

Verum enim vero tumores hos hernias cerebri vocare non possum, quoniam illæ, ex defectu in ossificatione ossium bregmatis & frontis præcipue natæ, lympham non continent, sed ipsum cerebrum, quod in iis locis propul-lulat, eodem modo quo in trepanatis; hernias hæc com-pressione prudenter adhibitæ sanatas vidi sæpius. Ex ossium genesi haec etiam facile explanantur: servavi quoque in museo meo infantum crania, in quibus hi defectus admodum conspicui sunt.

Nolo vobis, Viri. Ill. I citationibus multifariis esse molestus, ingentem auctorum numerum prodidit *Mor-gagnus*, quibus subjungere oportet *le Cattus*, qui plus reliquis in indaganda vitii hujus indole præstítit; etiam *Grashusium*, *Zwagermannum*, aliosque, qui, etiam si ex professo de spina bifida egerint, veram ejus naturam non indagarunt.

§. XII. Quoniam frequens est hæc naturæ deficientia, plures mihi eam in emortuis examinare licuit. Videntur, quemadmodum *le Cattus* elegantissimâ figurâ (b) ob oculos posuit, aliquando medulla spinalis & nervorum plures fasciculi interno inhærescere tumori, ipfique inseri adeò,

(a) *Cases in Surgery*, p. 47. Obs. XI.

(b) *Traité du Mouvement musculaire*, Berlin 1765, planche 3. P. 52.

ut ipsa spinalis medulla eo in loco veluti abrupta videatur, & deliquum pati. *Tulpius* idcirco (a) dixisse videtur, medullam laceram & nervorum propagines per tumorem dispersas videri. *Ruysschius* (b) spinali medulla orbatos esse hos infantes putavit.

Ex hoc phænomeno mihi æque incognito paralyses partium inferiorum in principio nec sine veri specie explicavi. Vidi tamen postea nervos ischiadicos in omnibus optime constitutos fuisse, & in aliquibus mobilitatem pedum naturalem, dum in vivis essent, quamquam post mortem tota medulla spinalis videretur abrupta!

Excitavit interea rei singularitas curiositatem, donec anno 1776 de novo in puerō, non diu post nativitatem mortuo, vitium illud, lumbos infimos & os sacrum occupans examinaverim penitus, repererimque.

I. Spinæ bifidæ tumorem, quem herniam spinalem *le Cattus* adpellavit (c) verum esse in vertebris, & in cœte vicinâ defectum, eumque plerumque constare solâ membranâ, seu involucro medullæ spinalis, ultramodum dilatâ à lymphâ simili ei, quæ in ventriculis cerebri reperiuntur, sed neutiquam à nerveo succo, quemadmodum *Bidloo* & *le Catto* placuit, quem errorem, ut cum *Morgagno* (d) loquar, recensere pudet.

II. Involucrum illud expandi usque adeo non posse, nisi simul cauda equina insigniter extenuetur, unde nervi seu eorum fasciculi, immo ipsa medullæ spinalis extremitas involucro interno adhærescere videntur, & tanquam abrupta, atque desinentia in interno hoc involucro quum è contrario nihil aliud contingat, quam quod hi nervi extenuati ac divisi circumneant tumorem, donec sinus inter corpora vertebrarum exire queant, & formare nervos ischiadicos, crurales ceterosque.

III. Paralyses inde majores vel minores pro diversa

(a) Lib. III. C. XXX. p. 232.

(b) Obs. anat. Chirur. p. 47.

(c) Ib. p. 52.

(d) Ib. p. 23.

DISATO D E M E D E C I N E. L I O N I M 65
harum partium extenuatione oriri, vel omnino nullas, quando nullam patientur extensionem.

IV. Nervum ischiadicum, nervosque crurales ideo perfectos esse posse & optime constitutos, quoniam continitas cum ipsâ medullâ spinali integra est.

Anno 1770 hanc eamdem fabricam in puerο, 1771 in altero, 1774 bis in puellis ac tandem in puerο 1776 animadverti, notavi & figuris illustravi.

Requiritur autem, ut involucrum exterius servemus integrum & cuticulam auferamus primum. Inflato tumore, nervos juxta ejus superficiem decurrentes conspicere licet, & singulos foramina sua ingredientes. Aperto vero protinus integro involucro, quemadmodum à *Tulpio*, *Ruyschio*, *le Catto*, & à me antea factum fuit, medulla tamquam lacera & nervi omnino deficientes apparebunt.

In mentem non venit, me ullibi hoc vitium tam perficie explanatum vidisse, neque observata similia iis, quæ *le Cattus* memorie mandavit. Eorum mentionem similiter non fecit ill. Eques *Murray* Gottengensis Professor in nuperim editâ dissertatione de spinâ bifidâ, IX.

Cl. Morgagni hæc etiam diligenter examinasse non videtur, secùs *Ruyschium* non interpretatus fuisset, quemadmodum fecit (a). Interea me primum hoc scrutinio rem acu tetigisse arbitror, occasionemque dedisse amicis meis, etiam clarissimo *Murrayo*, cum ante annum Hannoveræ cum eo conloquerer, ut diversas hujus deformitatis accidentias magis dilucidè explanarent.

s. XIII. Ex præcedentibus interim manifestum est, lympham plerumque limpidissimam, subrubellam aliquando, raro subpurulentam, eamdem prorsus esse, quæ in ventriculis cerebri naturaliter reperitur, & in theca spinalis medullæ ab *Hallerio* (b) & *Huckio* (c) toties fuit observata;

(a) Ib. p. 92. §. II,

(b) Ib. p. 87.

Tome VII.

(c) Med. Obs. and Inq. Vol. IV.

p. 40. §. III. & p. 55.

I

66 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

sed ultra modum aucta. Ill. *Lieutaldus* (a) ex *Willisio*, *Boneto*, *Mangeto*, *Wepfero*, & *Coitero* tot exempla hydropum cerebri & spinalis medullæ citavit, ut supervacuum esset, si plura adderem.

Solebam superioribus annis sèpiùs medullam spinalem examinare in adulorum corporibus emortuis; nihil enim facilius, quam denudatas à carnibus vertebras cum cycliscis aperire; eâ ratione exactè idem quod *Hallerus* reperi, aquam intrà meninges medullæ spinalis. Manifestius idem in piscibus, quorum cerebra indagare animis erat, conspexi; in aliquibus cranium, cerebro ipso aliquando centès majus, uti in ranâ pescatrice, etiam in galeis, rassisque, aquâ subsalsâ plenum, etiam vertebrarum thecam, quæ omnis effluit, refecto capite. In carpione, loco aquæ, pinguedinis species intervallum inter cerebrum & cranium implet; sed redeundum in viam.

In multis infantibus præterea spinâ bifidâ adfectis bregma magis apertum observavi & turgens, quotiescumque tumorem comprimerem, argumento, hydropem spinæ & capitidis idem omnino esse vitium.

s. XIV. Mirum interea non est, *Tulpium* puncturam tumoris spinæ bifidæ adeo periculosam habuisse, ut lethalem protinus judicet: videntur medici, quemadmodum etiam ex *Bidloo* & *le Catto* patuit, lympham eam habuisse pro vero liquido nerveo; unde nihil manifestius, quam quod etiam minima ejus effusio per Chirurgiam esse deberet lethalis, quemadmodum sèpissime fuit, quamquam etiam sine noxâ adhibitam neverim. Hujus etiam varia exempla prodidit *Morgagnus*: videtur tamen sumoperè debilitare agros, quemadmodum ex historia mox tradenda erit manifestum.

Anno 1750 *Sylva-ducis* femina gemellos peperit, utrumque cum spinâ bifidâ ad lumborum cum sacro osse unionem & cum tumore molli castaneæ nucis magnitudinis.

(a) Obs. Anat. Med. Tom. II. Obs. CLXXIX. p. 341.

Unus eorum ex convulsionibus subito mortuus est; alter satis bene increvit, ita tamen, ut artus superiores & caput incrementum majus quam pedes caperent. Augebatur etiam pedetentim tumor, siebatque tumidior & totus perlucidus.

Decimo vel 12 aet. anno tumor lagenæ vitreæ, cujus collum abruptum est, habebat molem, & per lucidusque erat adeò, ut radii tum solis, tum candelæ translucerent evidentissimè. Chirurgus aliquis acu cannulata liquorem quidem omnem evocavit, sed nocte in sequente saccus de novo repleri coepit, adeò ut in træ paucos dies pristinam adquisiverit magnitudinem.

Conquerebatur autem æger, se inde tantoperè fuisse debilitatum, ut tres hebdomadæ fuerint lapsæ, antequam vigorem pristinum adipisceretur. Ad id symptoma quam maximè attendum esse arbitror, quoniam, etiam si pertusio mortem non faciat, vires itamen exhaustat.

Tumor ab eo tempore increvit adeò, ut corpus inclinare atque capite depresso, natibusque retròpulsis incedere debuerit; unde tumorem vestibus amplius celare non valens à commilitonibus *pueri caudati* cognomen acquisiverit.

Quandoquidem licet corpore non admodum robusto vigesimum annum adtigit, vitium ipsum capitale magnitudinem æquabat, minabaturque brevi rupturam, morbo alio interea afflictus, se infcio, tumori incubuit, unde inflammatio & gangræna in ejus superficie enata est. Dum autem in periculo mortis versabatur, accidit, ut inopinanter omnis humor absorberetur, atque collapsæ & corrugatae membranæ cicatricem formarent firmam quidem, sed foedam, mammæ scirrhosæ instar, costis adnatæ. Vivebat, quamquam debilis, adhucdum anno 1778, adeò quæ vigesimum octavum annum; argumento, neque semper mori ex hoc vitio, neque lethalem semper esse puncturam tumoris, atque resorptionem esse possibilem!

Liquet etiam inde, male omnino judicasse *Ruyfchium*

(a), quum non ultra XV menses vivere posse adfirmabat; nam præter diurnioris vitæ exempla apud *Morgagnum* obvia, apud *Warnerum* casum legimus juvenis 20 annorum (b), qui cum e simili tumore ad lumbos, licet ab incunabulis pedum debilitate laborasset, vigesimum tamen annum compleverat. *Iomut Orus* an si 15v omnes
en Sæpè ab ipsa natura aperturâ facta, non fuit lethalis; sed tædet hæc omnia exempla commemorare, quæ ab aliis & à *Morgagni* tam dilucide fuerunt exposita.

XV. Etiam si vero ex adlatis observationibus pateat, non semper mortem inferre puncturam, tamen *Tulpæ* (c) & *le Catti* (d) monito cedendum, & cuique Chirurgo præcipiendum atque inculcandum, prudentiâ summâ esse utendum & confugiendum potius in re tam ancipiâ ad emplastra ac fomenta discutientia, quam ad incisionem vitæ, ut plurimum, adeò perniciosa.

Asseverare possum in omnibus, in quibus, me invito; aqua educta est, mortem; etiam si non repente, secutam esse; neque etiam ex rarissimè contingentibus regula deduci potest, sed ex iis, quæ, si non semper, ut plurimum locum habent.

Emplastra exsiccantia igitur usu venire possent, ut aduersus adtritum linteum tutaremur virium, in primis si tunicae tenues sunt. Discutientia vinosa & spirituosa applicare oportet; iis enim conservatur cutis, præfertim in tenellâ illâ ætate, quâ ab excrementis semper conspurcantur infantes. Si fieri posset, subligaculo, cui pila concava tumorî analogâ adsuta esset, in vitium contraria compressionem & rupturam defendere; maxime si ultrâ tres annos viuerent; quod tamen mihi videre nunquam contigit; nam si etiam si sat magnum numerum me vidisse meminerim, omnes, quemadmodum *Ruysschius* observavit, ante XV mensem vel circa id tempus mortui sunt.

(a) Obs. en. Chir. p. 36. (c) Lib. III. c. XXIX. p. 230.
• (b) Cases in Surgery, p. 49. (d) Ib. p. 52 & 53. Supr.

Exemplum, quod à Chirurgo Nosocomii Sylvæ-duensis primario accepi, etiam illud, quod ex Warnero adtuli, rarissimum nimis est, quam ut prognosin in universum immutare possit, scilicet vitium ipsum subito ægros interimere, & apertioem, ut plurimum, esse lethalem, semper periculosam & nunquam utilem!

C A P U T S E C U N D U M.

De Hydropoe oculi seu staphylomate cornea, de linguae ranis & Bronchocele.

§. I. **O C U L U S** humanus in camerâ utrâque aquam continet limpidissimam, quæ lœsâ corneâ effluit illicè, sed subitò iterùm regeneratur; quemadmodum contingit, quoiescumque *Davellianâ* methodo suffusiones extrahimus; intra minuta pauca enim cornea, propter magnam illam incisionem flaccida, denuo turget, & globosam figuram adquirit.

Memini me H.... ante 30 annos, quum primum innotesceret hæc methodus, in staphylomate ingenti, quò puella laborabat, corneam ultrâ dimidium secaffe, atque vulnus intra 5 dices sanatum, & oculum de novo aquâ repletum fuisse.

Ubi cornea aquâ limpidâ adeò turget, quemadmodum in hac puellâ, ut palpebræ eam tegere nequunt amplius, tum *hydrops oculi* vocatur, vel, quemadmodum à *Celso* (a), *staphyloma*. *Aetius* autem, qui in specierum divisione fuit diligentior (b), ad tertiam staphylomatis speciem oculi hydropem reduxit. Diversitas staphylomatum infinita est, sed nolo in his esse longior, & commendo

(a) Lib. VII. C. VII. p. 431.

(b) *Tetrab.* II. *Serm.* III. C. XXXIV. p. 314.

vobis potius Cel. *Manchartium* (a) & *Gunzium* (b); qui egregie de hoc vitio scripserunt.

Visus in his omnibus deperditus est propter cornæ opacitatem; Chirurgiâ igitur æger tantum indiget, ut oculi bulbus obtegere & adversùs injurias externas defendere queat, etiam lacrymas ad puncta lacrymalia deducere.

Si vero visus aciem non omnem amiserit, ægro indicandum Ætii pronunciatum: *impossibile esse arti, oculum adfectum ad naturalem statum reducere, figuræ vero deformitati consilium contingere posse.* Injucundum enim est adspectu vitium, quando cornea opaca verum acnum exhibet.

Ex internis affectionibus oculi, imprimis ex variolis aliisque similibus oritur illud vitium, quod præter oculi denudationem raro aliquid mali producit; est enim indolens tumor. Incisio, perforatio, & similia malum non tollunt. Requiritur, ut suppurationem interne producamus, quâ secretionis aquæ organum destruitur, & cornea membranæ uæ adcrescit tam arctè, ut de novo elevari nequeat.

Celsus (c), Paulus Ægenita (d) & Ætius (e) modo ferè eodem Chirurgiam descripsierunt: oportere ad ipsas radices staphylomatis per medium transuere acu, duo lina ducente; dein alterius lini duo capita ex superiori parte, alterius ex inferiori adstringere inter se, quæ paulatim secando id excidant.

In memorata puellâ uid experiri volui, sed sefellit me ligatura; nam cornea nihil intercipere potui, quia omnis aqua inter acum & cornea vulnuscula effuebat; super collapsam igitur corneam linum utrumque, rectâ lineâ inter duo vulnuscula adstringum, hæsit, quod idem etiam Paulo accidisse videtur; nam alteram acum sine lino tra-

(a) Haller. Diff. Chirur. Vol. I.
P. 501.
(b) Ib. p. 477.

(c) Ib. §. II. p. 431.
(d) Lib. VI. C. XIX. p. 557.
(e) Ib. C. XXXV. p. 314.

jiciendam præcipit, ut ligatura ex arte fieri queat, *cumque retrahit deinceps*.

Ligaturam à me injectam insequebantur horribilia symptomata, oculi & capitis dolores intolerabiles, chomosis, &c; quæ cum lenire non poteram cataplasmatibus emollientibus, opii lautiori dosi insensilem oportuit reddere ægram; linorum enim solutionem negabat vehemens oculi totius intumescentia. Suppuratione deinceps natâ & ligaturâ lapsâ, omnia fuere sedata, cornea applicata mansit uveæ, ita ut palpebras, ut ante, commodè claudere potuerit. Perterritus autem adeo fui horrendis his symptomatibus, ut secundi vice hanc Chirurgiam adhibere non fuerim ausus, laudaverimque Cl. S. Yves (a), quod propter dolores horrendos eam vitaverit. Meliorem vero methodum non proposuit, neque etiam Heisterus (b). Resectio enim corneæ totius mihi valde periculosa videtur, etiam novi mortem adulisse ægro nimis credulo, cui ab oculari medico promissa fuerat nova cornea, perlucida, ex ambitu vulneris nascitura.

S. Yves interea &que atque Heisterus integrum corneam cum uveâ esse amputandam docent, & se cum successu hanc encheiresin adhibuisse testantur.

Mihi autem videtur requiri, ut aliquot fila trajiciantur, ut ex iis, tamquam ex setaceo, inflammatio oriatur & suppuratione, quam corneæ ad uveam concretio sequetur, quemadmodum in hydroceles curatione, de qua suo loco erit dicendum.

S. II. Sub linguâ in alterutro latere, vel in utroque, non rarò ingentes exoriuntur tumores perlucidi, qui linguæ motum, loquaciam igitur & deglutionem impediunt; ranulam vocaverunt veteres vel rannuculum. Vitium illud à Celso prætermissum est; nam (c) abscessum quidem sub linguâ commemorat, sed dolores magnos

De Rand.

(a) Chap. II. p. 174.

(b) De oper. Chir. s. VI. p. 637.

(c) Lib. VII. C. XII. s. V. p. 446.

72 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

mōventem, quum rana omnis doloris expers non nisi mole suā molestiam creat. *Aduarius* ~~paraxas~~ vocari scribit (a), pueris evenire præcipue, atque ægrè restitui, curationem vero obtineri reprimentibus, in adultis autem venam secandam esse, unde probabile est eum pro venā dilatatā tumorem illum habuisse. *P. Egineta* (b) modò non absimili æruginis rasæ particulis confricandum esse docet. Diligenter autem à *Tulpio* (c) descriptum vitium est, & accuratissimè à celeb. *Louisio* (d) qui canalem excretorium obliteratum & in molem magnam expansum esse arbitratur.

Licuit mihi in virgine juniori ranulas duas ingentes, lympha perlucida turgentes videre, in alterutro latere in feminis, etiam in viris diversis; nunquam, uti *Aduarius* in pueris observavi.

Aperui semper lanceolā, plagā non mediocri, ne nimis subito implerentur denuò, exivit semper pituita spissa, quemadmodum rectè *Tulpius* meminit, *simillima albo ovi recens ex effradā testā excidenti.*

Ubi recruduit, de novo secui, & vulnus leviter tetigi lapide infernali, & ex voto successit sanatio.

Cl. Louisius (e) eadem observavit, ad *Parci* exemplum cauterium actuale commendans. Idem facit *Wiemannus*; mihi autem, tantum metum incutiente remedio non indigere videtur; modo plaga satis magna fiat, quemadmodum citrà periculum, facile fert casus. Pituita, quo diutius moratur, eo spissior evadit.

Ad idem genus pertinere videntur vesiculæ illæ lividæ, labiorum, buccarum, etiam linguæ, quas propter livorem periculosas vulgus credit, iis magis obnoxium. Eas omnes simili successu aperui, tenacissimamque indè pituitam, sape non sine difficultate, evocavi. Periculo igitur etiam hi tumores vacant.

(a) Meth. Med. L. II. C. X. p. 186.
art. Med. princ. Tom. II.

(d) Mém. de l'Acad. Royale de Chir.
Tom. III. p. 463.

(b) L. III. C. XXVI. p. 445.
(c) L. I. C. LII. p. 96 & 97.

(e) Ib. p. 467.

Quæritis autem, *Viri ill.* ! quâ in parte humor hæreat, venenum sit, an salivalis glandulæ ductus ? Ignorantiam meam profiteor ; neutrum esse mihi videtur, sed intra cellulosam tunicam sub lingua hanc lympham instillatam & diuturniori mora inspissatam credo.

s. III. *Celsus* optime omnium Bronchocelen exposuit (a) : « At in cervice, inter cutem & asperam arteriam tumor » increscit, *βρογχοκελη* Græci vocant, quo modo caro » hebes, modo humor aliquis, melli aquæve similis inclu- » ditur : interdum etiam minutis ossibus pili immixti ». Tumorem hunc in *Sabaudia* & in *Helvetia* frequentem esse observavi, in *Italiâ* etiam sæpius contingere ex *Morgagno* (b) videre licet, qui feminis crebrius accidere quam viris notat. In thyroideâ glandulâ sedem ponit vir eximus acriterque defendit.

Nullus dubito, quin lites componete facile queamus ; nam quod *carnem hebetem* vocavit *Celsus*, in glandulis thyroideis vel in alterutrâ sedem habere credo. Sed nascuntur sæpe bini tumores immediate sub cute, qui ad ampullulosos referri debent, ad melicerides, vel atheroma, in quibus, uti *Celsus* recte monet, minuta officula seu dura corpuscula cum pilis non raro reperiuntur. Ali quando aqua seu lympha strumosas glandulas thyroideas turgidas ipse in septentrionalibus Europæ plagi obser vavi, sæpius tamen Bronchocelas melleo vel aquoso humore plenas, quæ ad quæstionem propositam unicè pertinere videntur.

Salvagius, qui in quamplurimis morborum sedibus determinandis obscurus est, ex *Montalto* (c) aquosam describit, eamque diureticis sanandam esse docet, aceto scillitico, præmissis catarthicis; verum frustrâ, quoniam extra circulationem pituita hæret. *Celsus* curationem melius exponit, commendat enim, ut medicamentis

Bronchocela.

(a) Lib. VII. C. XIII. p. 447.

(b) Ep. anat. 4. §. XXXVII. p. 275. | n° 4.

(c) Ib. Tom. I. §. XXVIII. p. 158.

adurentibus, causticis hodie dictis, curetur, vel scalpello, ita ut tumor totus cum velamento suo eximatur. Si quando autem tunica eximi non potuerit, intus infi-

pergenda adurentia, linamentisque id curandum esse, &c.

His regulis nihil addendum esse censeo, nisi quis ad cicatricem evitandam in feminis setaceum applicare mallet.

Est autem indolens vitium, quemadmodum sunt omnes tumores ampulloſi, tegiturque facile in viris collari, & in feminis plebeiis variis modis, adeo ut nunquam curationem à me quisquam rogaverit.

C A P U T T E R T I U M.

De pectoris & pericardii Hydrope.

D: telacellulosd. §. I. PRIUSQUAM de hydrope pectoris agamus, haud abs-re erit primùm ob oculos ponere admirabilem illam communicationem, quæ inter omnes cancellos tunicas adiposæ, non modò sub cute totius corporis, sed & inter vasa, nervos, musculos & eorum fibras, atque inter viscerum quorumcumque tunicas locum habet. Vir egregius *Joannes Abadie* hujus omnibus numeris absolutam dedit historiam, titulo *corporis cribroſi Hippocratis* anno 1774. Videtur *Halleri* doctrinæ ignarus fuisse; is enim telam illam cellulosam anno 1754. Egregie descriptit in *Elem. Physiol.* Tom. I. p. 10 & 12. his verbis: « Adeo late cum pateat — cellulosa tela cum suis cavernulis, » undique tamen ex qualibet ejus sede in quamlibet regio-
» nem patula via est, ut aer aut liquor quicunque, qui in
» quamcunque sedem animalis corporis effusus fuerit, in
» omnem aliam partem, etiam remotissimam per cellulas
» istas fluere & moveri possit ».

Hallerus Boerhavio tribuit hoc inventum, quod jure merito *Hippocrati* debetur, quemadmodum *Cl. Abadieus*

demonstravit. *Hallerus* innumeris quidem experimentis stupendam illam cellularum universi corporis unionem in homine & animalibus confirmavit. *Cl. Abadieus* autem septem in primis periculis in vivis animalibus factis, tam egregie & evidenter conprobavit, ut eorum recensionem tanquam lectu dignissimam omnibus Medecinæ genuinæ cultoribus commendare audeam.

Sequitur inde evidenter, aërem non modo emphysema, & aquam universalem anasarcam efficere posse, sed & ecchymoses latè dispergi, & pus è loco in locum transferri quam facillimè.

Emphysema, ex costis fractis per omnem thoracem & dorsum dispersum, sponte sanatum vidi; in bovillâ lue sèpius emphysema universale ex corruptione humorum observavi, etiam in emortuis aërem inter omnes pulmonum cellulas propulsum. Ex emphysemate universali etiam moriuntur boves solo trifolio pasti, sananturque, dum ex stramine nutrimentum sibi adquirere queunt. Aëris igitur non modo omnes illas cellulas permeat, sed absorbetur, & per vasa exhalantia è corpore eliminatur.

In hydrope ~~arascapka~~ aqua similiter omnem illam cellularem telam perambulat. In hydropicis enim observamus dyspnœam levari, simulac pedes tument, & vice versa. Ipse sedentariam vitam agens, & hiemali tempore in frigido theatro anatomicis exercitationibus occupatus pedes œdomatosos adquiro, qui versus vesperam tument insigniter, dum manè ex situ horizontali in lecto dispersa lymphâ nihil quidquam morbosí adpareat. Idem in cadaveribus contingit, modo pedes è tabula dependeant per integrum noctem, atque œdomatosi deprehendantur, qui sua natura erant aridi. In horizontaliter dispositis iterum, unde venerat, redit lymphâ.

Facilis illa permeatio lymphæ in cadaveribus causa est, quod aquæ copiæ, in thoracis, pericardii vel abdominalis cavo emortuorum repertæ, fidem habere nequeamus, nisi cadaver recens discissum sit. Cum ingenti illo anatomico

Vesalio observavi in diu adservatis cadaveribus plus aquæ in thoracis cavo, &c. in pericardio reperiri, in feminarum plusquam in virorum cadaveribus. Idem à *Salvagio* confirmatur (); verum pendet maxime hæc copia à mortis genere; in lente extinctis enim plus aquæ in pectoris & pericardii cavo animadverti, quam in iis, qui subito fatum subierant.

Unde quæstio, ill. *Senaccio* (*b*) ardua visa, facile, meo judicio, dirimitur; scilicet in sanis subito enecatis animalibus parum, & non nisi rorem inventum iri!

Aërem non tantum aquamque, sed & purulentam materiem modo prorsus simili permeare posse totius corporis telam cellulosam, abdominis, thoracisque, ac pericardii cava, in emortuis plus semel pure plena vidi. Mense novemb. 1776, hominis robusti & obesi cadaver secans ingentem puris inodori copiam sub utroque iliaco interno & sub psois observavi, inter vertebrarum os & periosteum, etiam inter vertebrae, quarum corpora inde multis in locis erant corroso. Ex vomicis pulmonalibus abscessus metastaticos ad scapulas in dorso sub cute vidi, quos audacter aperui. Quæ omnia ex communibus telæ cellulose meatibus facile intelliguntur, & curationes per incisiones, inustiones & per setacea tentandas evidentissimè explanant.

§. II. Hydrops pectoris est colluvies aquosa, collecta in ipsis pleuris, seu membranis costas cingentibus, quæ fæcos duos formant pulmones separatim comprehendentes, quibus simul externam tunicam præbent. Potest autem esse simplex vel duplex & topicum seu localem facere morbum, vel sequela esse pulmonis diu affecti, vel mali habitus totius corporis, atque cum ascite vel cum anasarca conjungi.

Quomodounque ortus inminuere semper debet pec-

(a) Tom. I. §. VIII. p. 693.

(b) De la struc. du cœur, Vol. I. §. II. p. 261.

toris cavitatem, adeoque & asthmata producere, & cordis irregulares motus, atque palpitationes, etiam tussim, &c. diaphragma deorsum pellere.

Dignoscitur autem malum ipsum difficulter, quoniam fluctuatio quemadmodum in ascite, sentiri omnino nequit. Non me fugit ex strepitu, concussis ægri humeris *Hippocratem* cognoscere voluisse thoracis hydropem. De hydropœctoris agens inquit, « quod si non indicet multa calida lotum, humeris prehensum concutito, deinde quoniam latere magis fluctuet, auscultato; quod cum intellexeris, tertiam ab ultima costam ad os usque secato, deinde terebra acuta ulterius perforato, &c. Ed. Foesii, p. 544 ». Adnotavit tamen divus senex (a) de empyemate agens: *Aliquando præ crassitudine & copia puris nullum interdum edī strepitum.* Ex recentioribus *Morgagnus* (b) strepitum ea ratione auditum posse adfirmat, sed in errorem lapsos omnes suspicor; quoniam aqua, etiam si ad insignem copiam collecta, semper arctè à pleuris comprehenditur, & nullus aer naturaliter inter pleuras & pulmones datur; audivisse tamen se fluctuationem aquarum confidenter adserunt, quod non nego; sed credibile est, à potu in ventriculo recepto deceptos fuisse. In me ipso enim, æstate liberius aqua hausta, fluctuationem liquoris intra ventriculum contenti, ad corporis quamcunque subitaneam inflexionem audivi sèpius; verum aeris copia semper satis magna summam ventriculi partem occupat, cujus, uti notavimus, nihil intra pleuras reperitur.

In universum autem adeo obscura sunt ejus signa diagnostica, ut, quemadmodum etiam *Wifemannus* (c), cuius summa apud me est autoritas, testatur, rarissime nisi post mortem cognoscatur.

§. III. Insignem pectoris hydropem, quen in cadavere feminæ effetæ anno 1767 mense decembri videre licuit,

(a) De morb. L. I. C. XVI. Chart. I. (b) Ib. Ep. XVI. §. XXXVII. p. 145.
Tom. VII. p. 568. (c) Chir. treatise Vol. I. §. IV. p. 200.

prius enarrabo. Id , anatomicis exercitationibus destinatum , adlatum erat sine ulla præcedentis morbi historiâ , etiam nullam hujus vitii suspicionem movebat corporis denudati inspectio.

Inveni subindè pleuram sinistrâm aqua turgentem , diaphragma non cavam fornicem faciens , sed versus abdomen gibbum , costas elevatas lateraliter , plus minus horizontales. Pulmonem integrum ad tam parvam molem redactum , ut placentam uterinam mentiretur , & nullum aërem intra vesiculas reciperet ; nam segmentum ejus aquæ immersum fundum vasis petebat celerius , quam pulmo infantis , qui nondum respiravit ; quod phænomenon etiam diligentissimè adnotavit *du Verneyus* (a) , scilicet pulmones in eo casu aliquando ad columbini ovi magnitudinem compingi , & aquæ fundum petere.

Glandulæ congregatae circa arteriam aortam & carotides obstruetæ & tumidæ laryngem cum æsophago dextrorum protruserant ; erat etiam cor suâ sedé & in partem oppositam motum , cum apice deorsum.

Lympha erat subflava , odoris urinosi , supernè perlucidi , infernè subpurulenti coloris , quemadmodum stagnatione fieri solet aqua ex hydrocele , etiam si limpidissima educta . Prunis ardentibus exposita dimidium vasculi inplebat coagulo , ovi albumen referente , sed leviter flavo , odoris urinosi .

Dexter pulmo anteriori & laterali pectoris cavo adhescebat. Colligere ex his licet , asthma natum fuisse non modo ex depresso diaphragmate & oblitterato pedentim pulmone , sed & propter costarum elevationem ; pulmo dexter , similiter à corde compressus , spirare commodè non potuit.

Cor procul dubio , si non palpitationibus , inordinato motui fuit obnoxium ; diaphragma in subiecta viscera agere non potuit , lienemque & ventriculum locis suis expulit ,

etiam hepatis lobum sinistrum. Taceo respirationis defec-
tum; unicus pulmo enim partes omnes sanguinis phlogis-
ticas expellere non potuit, neque sufficientem dephlo-
gisticatam ipsi præbere aërem.

Millena igitur & diversissima mala ex unica causa, ex
inminuto thoracis cavo nata! Vixit tamen, & quemad-
modum ex reliquo habitu adparebat, satis latè eò usquè
femina.

Hydropsis hujus particularis exempla multa, ubicunque
obvia, in primis à *Morgagno* (a), ab *Hallero*, *Schenkio*,
Boneto ceterisque observationum medicinalium collecto-
ribus reperiuntur, quæ brevitatis causâ prætereo.

s. IV. Alteram speciem adgredior, quæ pedetentim
ex affectionibus pulmonibus nascitur, præsertim in asthmaticis,
in quibus cognitu difficilior est hydrops, quoniam supra
notata signa non adsunt, & siti non urgentur, quemad-
modum contingit, ubi hydrops generalis eos adficit.

Cognoscitur meo iudicio certo certius ex rubore &
livore nasi, labiorumque, atque ex vasorum oculi admirabili dilatatione. Utrum alibi illud signum legerim, non
memini; cum *Morgagno* verissimum esse comperi; quod
nec omnia omnes legerem possumus, nec quæ legerimus,
omnium possumus meminisse. Id certum est, me pluries
id signum observasse in asthmaticis; ita amici cujusdam
uxori asthmaticæ, propter nasi labiorumque livorem hydro-
pem thoracis tribui, qui postea pedibus œdematosis &
ascite superveniente confirmabatur. Simulac aqua per para-
centesin ex abdomen evocata erat, liberiùs respirabat, &
redibat coloris faciei amœnitas; sed abdominis cavo iterum
repleto, anxietates, asthma, profundior labiorum & nasi
livor successerunt, quibus omnibus tandem mors finem
fecit. Cultro cadaver subjicere non licuit.

Vidi nuper à *Vieußenio*, Gallie immortali decore, ex
plumbeo colore faciei, & in primis labiorum atque palpe-

(a) Ib. Ep. XV. §. VII. p. 136₁

brarum (a) polypum in corde , aquam in pericardio & in thorace dignosci potuisse ; sed hæc nimis generalia sunt.

Ab Hippocrate quidem in empyemate unguium livor, tanquam mortis instantis signum , variis in locis proponitur ; etiam à Fallopio contractio unguium ex Morgagni suffragio (b) tanquam hydropis pectoris signum exhibetur, sed quo jure , non percipio , quia in omnibus phthisicis ex lente consumtâ pinguedine idem contingit.

Præter universalia signa etiam Cl. Cook id commendavit , quod decumbentes minus opprimantur , qui pectoris hydrope laborant , quod Editor *Novellarum salutarium* (c) merito reprehendit , quoniam ab omnibus medicis celebribus contrarium defenditur , & præprimis à du Verneyo. Singularem totius faciei livorem anno præterito observavi in nobili virgine ; aderat asthma , tussis & vehementis cordis palpitatio. Suspiciatur medicus nunc polypum cordis , nunc phthisin. Ex affecto autem ventriculo & systemate nervoso morbum ortum suspicatus , aptâ diætâ , roborantibus & opio ad ij. iiiij. & iv. gr. in die sanavi.

s. V. Sequitur jam thoracis hydrops , qui in laisis pulmonibus ascitis comes est , ab aquis resorptis & per celulosam membranam distributis dependens , vel & in ejus cava delapsis. Is vero difficillimè cognoscitur , quoniam spirandi difficultas ab intropresso diaaphragmate & costis inferioribus plus justo elevatis , & à musculis abdominis retentis , produci potest. Id certissimum , in illâ specie nasi labiorumque livorem non adesse , & hunc hydropem non nisi conjecturâ dignosci posse , quoniam symptomaticus est , & ab ascite productus.

s. VI. Ad Medicinam nunc deveniendum , quæ iisdem utitur præsidiis , ac in ascite & hydropibus similibus , de quibus suo loco exprofessò agam ; administratur autem

(a) Obs. Anat. & de Medecine prat. in-8°. 1755, edit. p. 443. | (b) Ib. §. XXXIII. p. 144. | (c) Gazer. salut. 15. oct. 1767. n. 41; paracentesis,

paracentesis, quæ ab *Hippocrate* in libro II de morbis, C. XVI (a) abundè descripta periculi non magis plena est, quam illa abdominalis, modò pulmo integer, & de signis certus sit Medicus, ne frustrà scapellum admoveat vel acum cannulatam.

Incisio èò minus lñdere poterit, quò pulmones à pleuris propter interjectam aquam, magis distant, & diaphragma ipsum deorsùm pellitur, unde etiam loci determinatio minus limitata est.

Cognoscitur autem latus affectum, quod ei sine dolore incubat æger, secùs mediastinum à pondere lñditur. Conveniunt eā in re quamplurimi, inter quos *le Drannus* & *la Fayus* (b) maximè eminent. *Sharpius* autem (c) animadvertisit, utrique lateri aliquandò aquæ commodè ægros decumbere, quamquam in uno latere empyema decur; quapropter ad latus maximè tumidum attendendum esse arbitratur; magni etiam momenti illud signum judicat *le Drannus* (d): ex symptomatibus in §. III. expositis etiam robur acquirit.

Fallax tamen esse posset in gibberosis, in primis schołiosi laborantibus, quorum corpus sèpè hydrope adficitur.

§. VII. Incisio fieri debet scapello inter duas costas, vel acu tricuspidi cannulatâ, sed quo in loco nunc monstrandum. Chirurgi plurimi incisionem moliti sunt in decliviori thoracis parte, ut omne fluidum evocare possent pleniùs. Optimè tamen monuit *Sharpius* (e) parùm referre, quo in loco fiat perforatio, quoniam pulmo sese expandens humorem contentum omnem expellit, adeò ut, *Sharpio* teste, ad distantiam sat magnam prosiliat.

Barbertius inferiorem partem potius evitandam esse censet propter frequentem adhæsionem pulmonum ad diaphragma, quam prudentiam singulari exemplo confirmatam vidi.

(a) Chart. Tom. VII. p. 567.

(b) In Diencytum. p. 426.

(c) Crit. Inq. p. 231.

(d) Op. de Chir. p. 405, n. 4.

(e) Crit. Inq. p. 234.

Hippocrates quidem in initio costam non determinat, & perforandum esse docet (a) ubi fluctuatio p̄fertitur, in altiori potius quam in decliviori thoracis parte; deinceps tamen spatium inter 10 & 9 costam, seu tertiam ab ultimâ costâ definit.

Le Drannus spatium inter vel 8 & 9 vel inter hanc & decimam, uti *Hippocrates*: *Sharpius* illud inter sextam & 7 commendat. *Marchette* intervallum inter 5 & 6 eligendum esse docet. Hi omnes à superiore parte deorsum costas numerarunt.

Boerhavius, s. M. C. XCI. de empeymate agens indicat intervallum inter 5 & 6 vel inter 4 & 5 costam, numero ab inferioribus ducto, id est inter 6 & 7 vel 7 & 8 costam. Determinatio illa tamen ideò mihi non videtur laudabilis, quoniam duodecima costa, ut plurimum, sentiri nequit, & non raro deficit. Id tamen non facit ad locum, quem optimè s. CCC. III. determinavit *Boerhavius*, male ab *Heistero* (c) reprehensus, atque à *Swietenio* (d), tanquam si spatium inter 2 & 3 veram inferiorem, id est ab inferioribus sursum numerando, non bene esset definitum, quum tamen idem à *Marchettis* cit indicatum inter 5 scilicet & 6 costam.

Adigere autem oportet scapellum, seu acum à latere, & evitare læsionem *latissimi dorsi*, neque timendum periculum lædendi cordis apicem, etiamsi in sinistro latere perforatio desideretur: in oppositam enim partem, (humor aqua sit, vel sanguis, vel pus), cor urgetur, quemadmodum in s. III. vidimus.

Boerhavius vero s. CCC. III. docet ad distantiam 4 digit. A vertebris, & ab angulo inferiore omoplatae scapellum inter 5 & 6 costam esse inpellendum, quod omnino absurdum est; quoniam scapulæ angulus inferior in robustis ad 9 costam descendit, uti in uno sceleto vel

(a) Ib. p. 568. E.

(b) Inst. Chir. p. 743. not. a.

(c) Tom. I. p. 507.

ad 8, uti in tribus adultorum hominum scelētis natura-
libus, quos conservo, patet. *Eustachius & Cl. Sue*, quo-
rum neuter proportionem observavit, hunc scapulae an-
gulum ad 7 costam ad tollunt, *Albinus* ad 8. *Boerhaavii*
errorem neque *Heisterus*, neque *Ill. Swietenius* animad-
verterunt.

S. VIII. Veteres omnes, ab *Hippocrate* enim ordiri
licet, non simul & semel, sed quotidie humorem emit-
tendum esse docuerunt, ita ut 12 die omnis exhaustus
sit. « In hydrope pectoris per duodecim dies semel die
» aqua educenda, post duodecimum vero diem decimo
» tertio die tota aqua educenda, & de cætero, si suscitetur,
» aqua emittenda p. 545. 1-6. Ed. Foes. » Si quando non
diu duravit mālum, unicā vice evocari potest. *Lympha*;
ubi diu, metus est, ne forte pulmo ad minorem molem
redactus se totum expandat, sita duò thoracem ipleteat.
Parum autem ad mensuram capacitatis thoracis attendisse
videtur. *Cl. Morandus* (a), quum rationem per vices
aquam evacuandi adfere, quod, post factam encheiresin,
specillum demiserit ad profunditatem 4 vel 5 poll. ante-
quam pulmonem adtingere potuerit? Tottus enim thorax
in maximā ossis sterni à concavis costis distantia tantum
5 vel 6 poll. profundus est, in summitate 4 poll. & lateraliter
versus mediastinum tantum poll. 4 vel 4 & 1/2.

Prudentia requirere videtur, ut interpolatis vicibus
aqua eliminetur è thorace, non tantum, ut pulmo se
expandat facilis, sed &c, ut diaphragma pristinam figuram
concavam recuperet, quæ omnia non uno momento ob-
tineri possunt.

S. IX. Quotiescumque corpus omne habeat affectum
est, ea sunt adhibenda, quæ digeruntur facile, & benè
nutriunt. Propinanda sunt emetica, purgantia & hydra-
goga, sed prudenter, & in interpolatis vicibus, etiam
diuretica, dummodò existant; hucusquè enim non novi,

(a) Mém. de l'Acad. Royale de Chir. Tom. II, p. 550 & 551.

84 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

quæ specialiter agunt, fortè cantharidibus, uti *Hippocrates*, utendum internè, quorum usus, licet à veteribus summo-
pere laudatus, hodie eviluit. Convenit etiam opium; sed
de his & aliis hydragogis, ubi ascitis curationem exponam,
magis abundè agendum erit.

*Emphysema
thoracis.*

§. X. Emphysema aliquando propter costas fractas pul-
mones intra pleuras non minùs quam aqua opprimit adeò,
ut fatale evaserit, quemadmodum ex *Littro*, *Meryo*,
Huntero atque ex *Chestono* demonstravit *Cl. Hewson* (a). Thoracis paracentesis etiam in tali casu esset laudabilis;
comprobat eam *Hewsonus* insuper *Riolani* testimonio;
qui (b) eam sèpius Parisiis cum violentâ flatûs explosione
fætitatam esse memoriam prodidit.

*De Hydropo
pericardii.*

§. XI. Ad pectoris hydropem procul dubio etiam
pertinet ille pericardii, cuius omne sere Medici, sys-
tematicè morbos desribentes, subnexerunt historiam. Circa
ejus lymphæ copiam eadem, quæ in sectione de pectoris
dixi, repetere oporteret, me in cordis involucro aliquando
magnam, sèpe vero exiguum invenisse copiam, aliquando
nullam, & in diù servatis cadaveribus majorem, nun-
quam vero tantam illuviem, ut pro singulari morbo haberi
potuerit.

Colorem consistentiamque in omnibus habet seri san-
guinis, & oriri videtur æquè atquè pectoris ac abdominis
hydrops ex dilatatis vasis exhalantibus, absorbentibus
oppilatis vel oppressis. Probabile non est à ruptis lym-
phaticis produci, etiamsi cor magno horum vasorum numero
gaudeat, quemadmodum *Nuckio* (c) jam innotuit, qui
elegantem eorum figuram posteritati tradidit. *Cl. Cruik-
shankius* (d) gloriatur, se aliquot centena in corde humano
inplevisse vasa lymphatica, quamquam neque à *Senaccio*,
neque ab *Hallero*, solertibus tamen Anatomicis non
suerint reperta. Fateor idem mihi accidisse fatum: nunquam

(a) Med. Obs. and Enq. Tom. III.
§. XXXV. p. 372 & 394.

(b) Enchiridii. L. III. C. II.

(c) De invent. nov. p. 134. fig. 41.
(d) Ibid. remarks on M. Claret,

p. 49.

inplere potui, nequidem, dum hæc scribo, in pulcherrimo virginis cadavere, etiam si reliqua vasa lymphatica sere omnia manifestissima fuerint. Anno autem præterito elegantissimum mihi præbuic spectaculum cor vituli, propter armorum ingentem sphacelum, in vicinia meâ haud rarum morbum, mortui, quod in millenis lymphaticis undique obtegebatur adeo, ut reticularē quamdam membranam formare videretur.

Ex his tamen ruptis, uti plenius monstrabo, ubi de ascite: (a) agam, omnino non oriri potest tanta illuvies.

Hildanum, *Morgagnum* (b), *Vieussenum*, & præprimis *Senaccium* (c) commendare debeo, si quis ingentem observationum numerum circa hanc hydropis speciem desiderat. *Salvagii* mentionem non facio, quoniam parvi momenti sunt, quæ de hydrocardiâ (d) memoriaz prodidit.

§. XII. Fingamus pericardium ultra modum esse aquâ repletum, morbumque esse omnino singularem! quâ ratione, quæso, quo signo cognosci poterit? an ex palpitatione, ex tussi, ex asthmatè? an ex strepitu, dum concutitur æger? an ex deglutitione difficili, signo fallacissimo, à *Cl. Salvagio* adlato? dubito vehementer! Ubi cumque autem datur pectoris amplitudo, necessariò inminuitur, etiam deprimitur diaphragma: signa vero omnia simul sumta adeo sunt æquivoca, adeo dubia, fallacia & incerta, ut evidenter monstrari mihi morbus non posse videatur.

Si tamen aliquid certi de ejus præsentia constare posset, omnia illa commendabilia forent, quæ in pectoris hydrope usu venire diximus. Absorptio lymphæ extravasatæ excitanda esset, & absorptæ eliminatio per sudores, per urinas, vel per alvum, quod me hercule non esset facile!

§. XIII. Proposuerunt etiam, his non succendentibus; pericardii puncturam seu paracentesin Medici haud con-

(a) Vide §. V & VI. Cap. IV.

(b) Epist. XVI. §. XXXIV &

(c) Traité du cœur, Tom. I. p. 361.

(d) Nef. Meth. Tom. I. p. 692.

86 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

temnendi. Proposuit eam *Senacius*, & alicujus ossis pectoris terebrationem.

Certum est, diaphragma, quemadmodum illud ab *Albino* representatum atque descriptum est, in statu sano convexitate suā adscendere ad intervallum inter quartam & tertiam costam, & pericardii summitatem ferè ad ossis pectoris cimulatam superficiem, id est, usque ad jugulum: altius autem, licet vehementer repletum, adtolli nequit; deorsum igitur, & lateraliter, maxime sinistrorum ut se expandat, necesse est. Nihil proinde convenientius, nihil tutius, quam ut acu cannulatā pertundatur ad mammam evitandam inter quartam & quintam costam vēram à summo pectore numero ducto; & à parte sinistrâ thoracis ad aliquain ab osse pectoris distantiam, ne vasa mammaria interna lacerantur. Sinistriorem thoracis partem commen-
davi, quoniam cordis apex ibi situs est, cuius lāsio tamen non est metuenda, quoniam ex ipsā morbi definitione intervallum magnum inter cor & costas necessariò locum habere beat.

De sterni terebratione nihil pronunciare audeo; novimus frangi & facile sanari, quemadmodum non quidem ex humanis, sed ex papionum sceletis in Museo meo probare possum. Celebratissimum autem *Marylli* pueri exemplum a *Galen* traditum (a) in memoriam vestrā revocare oportet, è quo discimus, os sternum, carie affectum, excidi posse, sine ullo alio incommodo, quam quod (hāc Galeni verba sunt) quotidie in thoracis pertusione ac perforatione contingit! Nostis, Viri Illūstrissimi! in hoc puero os pectoris fuisse excisum, pericardium putrefactum, cor adeo denudatum, ut ejus palpitationem observaverit *Galenus*, & tamen curatum fuisse.

(a) De Hipp. & Platonis decretis L. I. C. V. Clas. I. Ed. Brassavoli, p. 231. fig. 5. tota verò Historia à Galeno narratur L. VII. de anat. anim. nistr. C. XIII. Ib. p. 27. F. - H.

CAPUT QUARTUM.

De abdominis variis hydropum speciebus & maxime vulgaribus.

§. I. **I**LLOSTRIS Societas postulasse non videtur, ut infinitas illas diversitates exhiberemus hydropum, tuberculorum tumorumque, quæ in variis hominibus, in primis post mortem adparuerunt, vel emortuorum sectionibus recusatis omnino non fuerunt examinata. Insignes aliquando tumores intra abdomen mobiles animadverti in sequiori sexu potissimum, de quibus ne conjecturâ quidem aliquid determinare ausus sum. Id autem certissimum & omnibus Medicis notum, serum sanguinis seu lympham, plus minus puram, crebro reperiri intra peritonæum effusam, vel intra cellulas aliquarum partium intra abdomen sitarum, frequentissime ovarii, vel sub peritonæo, hepati, lieni, vesicæ, utero aliisque partibus adnascit tubercula, vel cystides plenas corpusculis ovatis, perlucidis, magnis, parvis, numerosis, millenis aliquando, à se invicem separatis, quarum origo maximis Medicis incognita fuit, & procul dubio quam plurimiis adhucdum latet. Hydatides vocata fuerunt admirabilia hæc corpora à similitudine, quamquam veteres per eas ampulloso tumores aquâ limpida plenos, quales palpebris haud raro accidunt, intellexerint. Quoniam vero lymphæ intra abdomen instillatio, & absorptio, atque hydatidum origo modis per quam diversis considerata fuerunt; de his primùm sententiam meā aperire lubet, antequam ascitis varietates adgrediar. Poterit deinceps reliquis omnibus applicari cavis naturalibus hæc doctrina, quoniam pleuris, pericardio, etiam cerebri ventriculis & similibus eadem est structura, idem mechanismus.


§. II. Omnis superficies interna cavi cujuscumque natu-

38 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

ralis, uti abdominis, thoracis, pericardii, ventriculorum cerebri, tunicæ vaginalis testiculorum, similiusque gaudet innumerabilibus vasis arteriosis, exhalantibus totidem ostiis rorem aqueum lymphaticum, quo mobilitas partium supra se invicem & intra cava sua egregiè sustinetur. Sed, quoniam in statu sano eadem ferè aut similis & ad munia illa obeunda sufficiens quantitas reperitur, conceperunt physiologi fermè omnes, dari intra hæc eadem cava venarum exilissimarum copiam arteriolis analogam, quæ rorem illum seu lympham superfluam resorberent, atque circulationi traderent, ut perpetuū foret renovatæ lymphæ circulus & quantitatis moderatio.

Hodiè vero vasorum lymphaticorum, præterito sæculo in primis à *Nuckio* detectorum doctrina denuò ad examen revocata, & ab egregio *Hewsono*, *A. Monroo* juniori, ab *Huntero*, *Cruikshankio* in Anglia multis novis inventis audita, quemadmodum in Germania à *Cl. Meckelio*, hodieque *Casseliis* ab excellentissimo *Sæmmeringio*, Anat. & Chir. Professore, ad absorptionem universalem explicandam adhibetur, adeo ut omnes uno adfirment ore, absorptionem non à venarum ostiis fieri, sed à vasis lymphaticis internè intra corporis cava, & externè per universam cutem obviis. Juxta *Lieberkühnii* placitum transiret omne fluidum subtile per membranarum tenuium poros intra earum cellulas exilissimas, unde per vasa lymphatica absorberetur, deducereturque ad communem eorum truncum, thoracicum ductum; ita ex intestinis chylus per cutem, quicquid in aëre hæreret, vel per pulmonum vesiculos resorberetur, & omnis humor intra cava corporis quævis effusus!

Dissimulare tamen nequeo, me diu credidisse sanguinem



ex arteriâ A. F. à corde pulsum versus venam F. L. propter angustiam in F. retardari, & impediri adeò, ut per ostium apertum C. D.

C. D. exiret specie roris limpidior ejus pars C. D. Q. Deinceps atmosphoram premere columnam particularum N in L. eā volitantium, P. H. versus ostium apertum venæ F. L. in H. I. 2^o. Venæ ramulum G. H. I. K. tuborum capillarium omnium instar adtribere eas particulas atque deferre versus G. K. Sit tandem particula R. eo delata, quid igitur? Sursùm adscendere nequit, quoniam atmosphæræ pressio superat actionem, qua sanguis ex tubo arcioni in ampliorem F. L. fertur. Necesse igitur est, ut à via sanguinis, ab arteriâ acceptâ, pellatur in venam versus L. N.

Eā ratione igitur perpetua redderetur exhalatio & resorptio. Vegetabilia omnia eodem artificio videntur nutrimentum ex telluris gremio trahere. In iis quidem cor deficit, sed caloris vicissitudo & celerrima foliorum & corticis exhalatio ejus vice fungitur.

§. III. Quamquam mechanismus hic, etiam in præsenti momento, probabilissimus mihi videatur, dubius tamen omnino hæreo. In feminino enim cadavere, cujus mentionem feci, de industriâ lymphatica omnia extremitum, colli, abdominalis, pudendorumque præparavi, & similia reperi iis, quæ mercurio repleta conservo, atque in *Nuckii Hewsonique* tabulis representata sunt. Cum obiectamento tamen haud exiguo vidi lymphatica ramulis exilibus sub cute v. gr. oriunda, majores conjunctione efformare truncos progredientes, à pedibus ad inferiores inguinales, à manibus ad axillares glandulas, ex pudendis ad inguinales superiores, omnia tandem se in ductum thoracicum evacuare, aliquando in vicinas venas, &c. Interea non concipio, quâ ratione vas lymphaticum hauriret lympham, nisi eam instar tubuli capillaris ad se traheret? *Hunterus* rem expedire conatus est, statuendo instar sanguisugæ agere vas lymphaticum; quamquam nulla ibi omnino locum habeat similitudo. *Cruikshankius* (a) aliam

(a) Ib. p. 135 & 136.

tuetur sententiam, scilicet esse lymphatica valde irritabilia, & actionem habere muscularē peristalticā, atque absorptam propellere materiem. Verum, etiam & ita res clarior non evadit. Videmus præterea lacrymas à punctis lacrymalibus absorberi, tamquam per tubos capillares, adtractione solâ.

Quomodo autem propulsio lymphæ per lymphatica cutanea fiat, ab extremis digitis pedum ad glandulas inguinales plane non concipio; ubi verò in ductum thoracicū semel ingressa est lympha, protruditur facile à musculis abdominalibus, & ab isto reciproquo arteriæ aortæ, sub quâ maximi ejus trunci vel à latere discurrent. Aorta idem intra thoracem efficit. Valvulæ vero descensum seu retrogradum motum impediunt; cuiuscumque directionis igitur sit vis illata, necessariò adscendere seu progreedi debet sursum, quorsum via aperta est. Hallucinati etiam videntur, qui ab ipsis arteriis formari credebant lymphatica vasa, quoniam per arteriam hepaticam aëre non modo, sed & ceraceâ materie facile implentur hepatis lymphatica. Certum est disrumpi ab illatâ vi arteriarum extrema, effusumque in cellulosam telam aërem vel ceram ingredi vasa lymphatica; *A. Monro* junior, in egregio suo de lymphaticis tractatu, hunc errorem primus detexit, etiamsi *Vieussenio* vestro cognitum fuerit (*a*), nullum inter hæc vasa dari commercium.

§. IV. Quoniam lympha ab omni parte ad ductum thoracicū, & inde in venam subclaviam sinistram vehi debet, videtur absorptio per lymphatica longè majus tempus requirere, quam si per venas fieret? quamquam ex ingestis propter perpetuam partium vicinarum in ductum thoracicū actionem celerrimè fiat.

Tarditas progressus viroris venerei, variolosi, viperarum, veneni pestiferi, tucumasii ac canis rabidi non nisi ex

(a) Exp. & reflex. Ib. p. 120.

absorptione per lymphatica expediri posse videtur, quoniam ligaturā, inustione, causticis, membris abscissione effectus eorum sisti potuerunt. Observavit etiam Cl. Cruikshankius (a), glandulas inguinales in adultis ex contracto contagio venereo primā adfici; axillares, ubi nutrix ab infante suetu contaminatur; parotides vero & cervicis glandulas in infantibus, quotiescumque ore virus à nutrice adtrahunt. Idem fere circa contagium pestiferum adnotavit Cl. D. Samoilowitz (b).

Ex lentore progressū hujus liquoris per vasa lymphatica, & subitaneā illā absorptione, ex balneis medicatis & ingestis oriundā, credibile videtur per ora venarum & per lymphatica simul absorberi, quæcumque vel cutis superficie, vel ori & intestinis, internè pulmonibus, & internis corporis cavis naturalibus adlicantur.

Quomodo cumque autem res se habeat, certissimum est, ex omnibus cavis naturalibus, atque ex cellulis adipose membranæ resorberi posse non modo lympham perlucidissimam, sed sanguinis serum, etiam sanguinem rubrum, pus atque aërem: probant in hydrope, fugillatio, seu ecchymosis, emphysema, & metastasis quæcumque.

Verum in cavatibus non naturalibus, quales sunt folliculares omnes, uti in ovariis hydrope adfectis, in hydatidibus veterum seu tuberculis, nunquam sit resorptio, seu rarissime, & tantum pro parte, quoniam dispositio illa organica, sive venarum ostiolis tribuatur, sive vasorum lymphaticorum, in iis locum non habet.

S. V. Diximus per arterias exhalantes lympham vel atmosphæræ immisceri, vel in cava corporis quæcumque deponi, quibus significare volui, instillationem illam non fieri ex vase lymphatico disrupto, quemadmodum Nuckio (c) aliisque placuit, tamquam si ostium illud facile non

(a) Ib. letter to M. Clare, or remarks on the absorption of calomel from the internal surface of the mouth. 1759.

(b) Lettre sur les Exp. des frottements

glaciales pour la guérison de la pelle. p. 15. Anno 1787.

(c) Adenogr. curioſ. p. 116.

clauderetur. Ad valvulas vero lymphaticorum si animum attendamus, eas adeò valentes reperiemus, ut facile non sinant retrogradum lymphæ motum; mercurio enim, vi satis magnâ adhibitâ, eas disrumpere vix valemus, unde patet, lympham it tardè fluentem, neque fortiter propulsam, non exituram, etiam si vas aliquod disruptum foret. Accedit, quod ex venæ sectionibus infeliciter institutis, ex vulneribus cubiti, & parotidis, &c. Per lucidissimam stillare videamus lympham, nunquam vero sanguinis serum, flavum, subviride, vel purulentum, quemadmodum intrâ thoracis, pericardii & abdominis cavum, vel in hydrocelis: credibile igitur est, naturaliter per oras arteriarum dilatatas hanc elabi materiem.

Quotiescumque nostra explanatio, quæ etiam Halleri est, morbis in præcedentibus à nobis expositis adcommodeatur, vel ad eos, de quibus adhucdum dicendum restat; intelligimus facile hydrocephali, spinæ bifidæ, hydrarthri, thoracis, pericardii, abdominis & tunicarum testiculi hydropses atque eorum absorptionem subitaneam per draffica, quæ aliquando incantamenti instar agunt.

s. VI. Supereft ut hydatidum indolem curatiū explcemus. Inter veteres Aretæus primus quidem de hydatibus morbilibus in abdomen non raro obviis, sed obscurè egisse dicitur: nunquam verò eas vocat hydatides, sed ampullas (a), quas expressè dicit se non vidisse, atque ideo nihil scribendo adfirmare velle. Hydatides vocarunt veteres perlucidos illos palpebrarum folliculos, qui cum iis Aretæi, & cum tuberculis Hippocratis nihil prorsùs commune habent. Observarunt Medici recentiores, haud raro intrâ ventriculos cerebri, præprimis in plexu choroideo folliculos perlucidos, etiam in fimbriis tubæ Fallopianæ, quos similiter hydatides adpellaverunt; maximè vero hydatidum racemos in placenis uterinis frequenter obvios, quos ex dilatatis, & vicissim contractis arteriis

(a) Ed. Boerhaeui. p. 51.

factos derivabant. Placentarum harum aliquot exempla in Museo meo conservo.

In humanis tandem, & quadrupedum aviumque corporibus animadverterunt hydatides plures, parvas, magnas, nunquam inter se, neque cum tumorum tunicis cohærentes, quæ omnium Anatomicorum ingenia summoperè torserunt, & torquent etiam hodiè.

Quum sæculo præterito vasa lymphatica dætegebant Anatomici, mirandum non erat, quod *Nuckius* (a) inter reliquos, hydatides consideraverit tamquam vasa lymphatica inter valvulas abrupta, & per valvulas undique clausa. *Macbridius* (b) è contrario, ex coagulatis lymphæ partibus hydatides explicans, de industriâ addit, non opus esse, ut earum originem ex ruptis vasis lymphaticis derivemus. Si *Salvagium* (c) consulitis videbitis etiam, illum valdè quam hallucinatum fuisse.

Tyson, celebris ille sæculi ultimi prosector primus hoc naturæ mysterium revelavit, monstravitque, *hydatides* illas *tænias* esse, seu vermes; pauci interea præjudicationum jugum abjicere ausi sunt, donec clarissimus *Pallasius* (d) eas nomine *tæniarum hydaticarum* evidenter descripserit, & figuris elegantissimis illustraverit. Sæculum igitur ferè lapsum est, antequam *Tysonis* invenitum per Europam fuerit cognitum.

In humanis corporibus eas nunquam reperte mihi licuit, sed in boum abdomen pluriès: aliquoties ingenti numero & magnitudine diversâ prodeentes amœnissimum mihi præbuerunt spectaculum. Observavi eas in canibus, & nuper in simiæ specie, quam *Mandrillum*. *Plinius* *Vestfer* vocat, & *Linnæus* *Maimonem*.

Hydatides igitur, seu vermes illi, deponi possunt ubique, atque nidulari, donec magnum illud volumen adquirunt, cujus auctores mentionem faciunt. Intra pectus

(a) Ib. p. 96. & 115.

(c) Ib. Tom. 5. XXXV. p. 165.

(b) Method. introd. to the theory and practice of Physic.

(d) Miscell. Zoolog. 5. XIII. p. 159.

tamen & abdomen frequentius, potissimumque sub pleura vel peritonæo, ideo in pulmonibus ad vesicam urinariam & uterum reperiuntur: forte etiam intrà uterum, ante paucos enim dies ligaturâ polypum insignem uteri in virgine quadragenariâ curaturus, miratus sum, disrupto à forcipe *Levretano* tumore, ingentem numerum corpusculorum hydatidibus simillimorum. Microscopiis eas examinare non potui, quia procul à meo domicilio accidit.

Ova minutissima horum animalculorum absorberi, deponi, & nidulari posse ubique locorum, non mirabimur, quando ad vermes respicimus, renes hominum sæpe obdentes, seu luporum, in quibus *Kleinius* (a) vermes insigniter magnos vidit, & ipse plus semel in renibus canum, iis perfectissimè similes, observavi.

In simiâ *Panisco* à *Linnæo* vocatâ, caudâ prehensili, quam Ill. *Comes* de *Buffon* *Coita* adpellat, millenos vermes capillares longos observavit *C. Daubenton*, inter viscera dispersos, quorum ova similiter prius absorpta, & intra abdomen deposita fuerunt. Contigit mihi, ut in duobus Paniscis à me dissectis ejusdem generis vermes perplures viderim.

Tumores igitur hi hydatidici ad hydropa non pertinent, etiam dignosci, & multò minus destrui possunt; præterire eos idcirco licebit, quoniam diversæ naturæ sunt.

s. VII. His præfatis ad hydropis abdominalis varias species progredimur. Quæri potest, undenam insignis aquæ copia, quæ non raro intrà breve tempus ad 50, 100 & 200 libras abdomen implet? plus quam 70 aquarum congii intra unicum annum in ascitico collecti fuerunt juxta *Cheseldeni* observationem (b). Nec mirum. Omnibus enim hodiè ex *Sandorii* observationibus cognitum est, hominem, præter propter pro cibo & potu consumere in die 8 libras, indeque 40 uncias per alvum, 44

(a) Herpetologia. p. 63. Fig. 1. & 20.

(b) Ib. p. 117.

per urinas excerni, & 80 uncias insensibili perspiratione amitti, id est, $40 + 44 + 80 = 164$

Sit libra juxta Sandorium = 16 $\frac{2}{3}$ erunt igitur 8 lib. = 128

Amisit proinde homo plusquam adsumsit. 36 unc. Id est 10 libras + 4 $\frac{2}{3}$ quod suprapondum procul dubio ex atmosphærâ haustum à Sandorio non fuit animadversum. Neminem etiam fugere potest, homines in Jamaiensi insulâ, etiamsi parùm bibaces, copiosè tamen perspirare & mingere: animadvertis insuper egregius Cruikshankius (a), homines aliquando deciès plus urinæ emittere, quam bibere. Re rite consideratâ nihil est evidenterius, quam quod aëris humiditas hoc augmentum producat. Merito igitur animadvertis Cl. Hænius ex hac solâ causâ ascitem non raro sensibiliter augeri.

F. Home, etiam *Arbuthnot* similem perspirationis copiam statuerunt. *Cl. Rey* mense decembri, adeoque spatio 30 dierum, perspiravit 80 libras, id est paulò plusquam 2 libras + 10 uncias nycthemeri spatio.

Omnis philosophi, inter quos *Hales* merito numerandus, *Wainwright*, aliisque superficiem corporis nostri æqualem ponunt = 15 pedibus quadratis sed cavitatem internam vesicularum pulmonum = 289 ped. quadr., quæ igitur $19 \frac{1}{7}$ ped. quadr. superat corporis totius superficiem: perspiramus igitur ferè vicies plus per pulmones, quam per externam cutis superficiem, atque etiam viciès plus inhalamus.

Ponamus, ut medium quamdam determinemus, pro perspiratione copiam 2 $\frac{1}{2}$ lib. in die. Si itaque $\frac{1}{7}$ minus eâ ratione perdimus, etiam $\frac{1}{7}$ minus per vias urinarias emittimus, cuius copiam *Cl. Home* æqualem 2 $\frac{1}{2}$ lib. observavit, manebunt intra corpus ex 5 libris duo; nullum igitur miraculum contingit, si spatio unius mensis homo intra corpus adcumulet 60 lib. lymphæ, vel plures, si vel plus aquæ pro potu hauserit, vel in humidiori atmosphærâ vixerit?

(a) Ib. p. 117.

Hydrops igitur, imprimis ascites & anasarca oriuntur Ex sex his caussis 1° quod roris naturaliter intra cava corporis & cellulis cutis secreti copia justo major fuerit. 2° Vel absorptio interna justo minor 3° vel perspiratio per pulmones & cutem fuerit minor. 4° Vel quod urinæ secretionem impedita. 5° Vel quod humiditas atmosphæræ fuerit immoderata. Vel 6° & ultimo, quod conditiones hæc sex fuerint turbatæ.

Possibile tamen est, perspirationem insensibilem & urinæ secretionem potius esse effectum morbi hydropici, quoniam post paracentesin saepe utramque liberiorem observamus, nullis remediis adhibitis præter laudani gr. j., quod præter tranquillitatem & quietem, quam animo & corpori conciliat, nihil amplius efficere potest.

Patet etiam ex datâ hac mechanismi explanatione hydropses ex iis caussis solis natos nullo alio vitio in nobiliori viscere, in hepate, liene, vel simili indigere, multomihus cachexia universali, adeoque hydropses ex 6 supra enumeratis caussis natos esse sanabiles, sed ex affectis visceribus vel cachexiâ oriundos omnino insanabiles esse, & fatales, quia hydrops harum affectionum sequela est.

Liquet etiam, particulares hydropses ex duabus prioribus caussis, ex secretione vel absorptione lymphæ necessariæ autâ vel imminutâ natos omnino non esse periculosos, etiamsi tonus ostiolorum his usibus dicatorum restitu non possit.

VIII. Caussæ hæc sex tamquam *pocathardicæ* considerari queunt, reliquæ *prædisponentes*, quarum numerus adeo magnus, ut determinari nequeat, & cum *Aretæo* dicendum sit, *hydropem morborum omnium diuturnorum esse vitium seu finem*. Omnes annos non adnotavi, sed in adversariis meis reperio anno 1758 & 1759 Londini ex hydrope seu potius cum hydrope periisse. Jam ad *Mangetum*, *Bonetum*, *Salvagium*, *Lieutaldum* & ad *Morgagnum* vos relegare debeo, ne citationibus molestis fastidium

fastidium creem; nam omnes ferè easdem observationes, & sàpè male recitant.

s. IX. Interèa tamen ad classes reducere licet varias hydropum species, quoad caussas externas: simplicissima adeoque & prima erit, quæ ex inanitione vasorum contingit, ex menstruis & lochiis nimiis, ex nimio fluxu hæmorrhoidali, narium hæmorrhagiâ, ex V. S. nimiâ, ex vulneribus quibuscumque. Ex his omnibus, ascites sine ullo viscerum vitio nascitur, cujus exempla à me non tantummodo visa, sed memorabile illud est, quod Londini fuit observatum (*a*), mulieris 82 annorum, quæ per 44 annos ascitica fuerat absque ullâ viscerum affectione.

Altera, quæ ex febribus & leucophlegmasiâ.

Tertia, ex obstructo præprimis hepate aliisve abdominis visceribus ideo morbus Regius, si quando hydropem concomitatur, pessimum dat signum, quemadmodum etiam à *Tulpio* (*b*) observatum fuit.

Pessima est *quarta* ex cachexiâ universali oriunda. In cachecticis enim glandulas non modò omnes mesentericas tumidas atque obstruetas observamus, sed etiam illas thoracis, bronchiales, & cervicis glandulas, maximè eas, quæ vasa magna concomitantur. Videtur totum systema glandularum, adeoque & vasorum lymphaticorum inde laedi. Incurabilis igitur erit hydrops inde natus, quoniam prorsùs impossibile est solida non modo omnia & fluida corrigere, sed & totum illud glandulosum sistema inmutare.

Quinta, saccata hodiè vocata seu cystica, quia sub peritonæo colligitur, uti hydrops ovarii, &c. Hæc suâ naturâ quidem innocua est, sed mole gravis & omnino incurabilis.

Sydenhamus solers ille morborum scrutator ascitem feminis pluriès quam viris accidere memoriae prodidit, fortè ob delicatiorem sexus conditionem; si benè memini,

(*a*) Med. Obs. and Inq. Vol. I. p. 8.

(*b*) Lib. II. C. XXXVI, p. 151.

idem observavi, quamquam etiam in viris multoties viderim.

s. X. Hydrops abdominalis seu ascites, de quâ cum maximè agendum, compressione partium vicinarum, vasorumque abdominalium sequentia producit:

Primò diaphragma, propter aquam abdomen undequaque æquabiliter distendentem, sursùm premitur intrà cavum pectoris, unde respiratio læditur primò, & secundò, quoniam musculi abdominis costis inserti, uti ferrati, ceterique reciprocam elevationem & depressionem costarum exercere nequeunt, unde asthma perpetuum, nisi abdomen cedat propter relaxatos abdominis musculos.

Diaphragma *secundò*, simul etiam viscera in pelvis fundo sita, inprimis uterum in feminis deorsum premit, quamquam semel tantum inde prolapsum natum viderim, spongiam facile retinendum. *Bonetus* ex *Bartholino* confirmat (a), id saepius fuisse observatum. Majoris autem momenti est exemplum à *Cl. Th. Laurie* (b) adlatum, uteri gravi in asciticâ prolapsi & sanati. Aquâ abdominis per paracentesin evanescit, uterus in agrâ meâ reductus nullo amplius egebat auxilio, nisi incrementibus de novo aquis.

Ilia vacua, *tertio*, urguntur extrorsum.

Propellit *quarto* totum abdomen antrorsum, eique dat figuram ovalem, oblongam adeò, ut umbilicus sapè in eodem plano sit cum genibus. Non raro umbilicum solum tam fortiter expandit, ut vesicæ ovillæ instar propullulet cum perluciditate manifestâ. *Purmannus* (c) in *Chirurgiâ curiosâ* ejus egregiam non modò dat descriptionem, sed & figuram. *Cl. Mackenzie* similiter histriam exhibit viri 47 annorum, cuius umbilicus ovinam repræsentabat vesicam (d).

Ex incremento abdominis pedes *quinto* in utroque

(a) Medicin. sept. collat. Tom II. p. 22.

(b) Med. essays and Obs. Part. II. Vol. V. p. 139.

(c) Chirurg. curios. p. 330. Tab. V.

(d) Med. essays Ch. Vol. II. S. XXIV. p. 189 & 290.

sexu s^epissimè tument aquâ inter cutem, quoniam venæ saphænæ comprimuntur. In viris etiam scrotum & inguen, ita ut præputium tanquam intortum quoddam & aquâ repletum mentiatur intestinum. In feminis pudendum, licet rariùs, in utroque sexu igitur ab abdomen tumente vasa pudenda externa comprimi videntur. Unde evidentissimè patet, levamen omnino nullum à præsidiis quibuscumque exspectari posse, nisi abdomen prius evacuetur.

Inmutantur sextò & ultimò ægrorum mores peculiariter in hoc morbo tantoperè, ut circa minima quæque sollicitudinem habeant, atque invitis miseriis, quibus horribiliter excruciantur, vivendi cupidentem: *quæ tolerantia*, quemadmodum optimè posteris commendavit *Aretæus* (a) *non ex animi alacritate ac bonâ spe.* — *Sed ex ipsâ morbi naturâ provenit.*

Vetus etiam est opinio, à recentioribus multis adoptata, lunam magnum in hydropicos exercere imperium, adeò ut *Tycho Braché*, testante *Cl. Allen* (b) omnes circa plenilunium mori dixerit. Quam fabulam una cum imperio numeri septenarii & crisiūm ridiculam doctrinam penitus rejicimus.

§. XI. Veram asciten hucusque contemplati sumus, quæ tamen haud rarò cum aliis conjuncta reperitur, & signa æquivoca, s^epē fallacia exhibit; sic cum graviditate conjuncta omnia dubia reddit. Aliquando uterus gravidus & mole & aquæ amnii fluctuatione asciten mentitur, quemadmodum in multis, etiam in meâ uxore, licet sanissima, bis ad partum usque evidentissimè animadverti.

In sexu utroque perspè varios concomitatur hepatis morbos, tumores cysticos ingentes, in feminis ovarii hydropa, &c.

Paracentesis in iis aquæ superfluitatem ex abdomen

(a) Aret. Capp. p. 137. D. E. Ed. Boeth.

(b) Ib. §. XXVIII. p. 195.

quidem detrahere valet, sed morbo non mederi. In gravidis, in quibus plus semel ab imperitis hanc Chirurgiam institutam memini, partum quidem promovit acceleravitque; mali autem nihil adtulit. Uterus enim puncatur hāc non multum, & foetus omnino non lāditur, quoniam in dubiis casibus intervallum semper datur inter membranas & fœtum; caput præterea, ut potè naturaliter deorsum & intrà pelvim situm lādi nequit, quia acus infrà & à latere umbilici adigitur.

§. XII. Ascites sèpè pectoris hydropem ac pericardii concomitatur, & pedes ædematosos, ita ut, quemadmodum in principio monui, ex cavo uno in alterum juxta cellulofam telam, & deinceps in cellulofam pedum struc- turam inlabatur. De facili hoc transitu non modo in vivis, sed & in mortuis jam mentionem feci Cap. III.

§. I.

In vivis verò inde perpetua symptomatum varietas exoritur, respiratio quippe commodior, ubi pedes tument, & è contrario pedes tenuiores, ubi abdomen vel thorax turgent vicissim.

Non raro perpetuo stillicidio è cruribus sub cute & cuticula levatur malum & omnino evacuatur abdominis lympha, de quâ re, ubi de anasarcâ, plura erunt monenda.

§. XIII. Quoniam verò morborum omnium progenies est; etiam nemini parcit, ne quidem ipsis gravidis: hydro- picæ enim uterum gerentis observationem dedit *Ruyfchius* (a), quæ fetu maturo nato fatum subiit *Cl. Laurie* (b) asciticæ mentionem facit, quæ tres menses antè primam paracentesin conceperat, & durante graviditate tres punctiones perpessa sanationem recepit.

Opprimit vero infantes æquè atquè adultos, etiam nondum natos. Nullo opportuniore quam hoc loco narrare

(a) Obs. Chir. LXX. p. 91.

(b) Med. Obs. and Inq. Vol. V. §. LXIV. p. 137.

potero casum, ob multas valde singulares accidentias menti meæ altè impressum.

Dum 6 mens. Mart. anno 1773 casu fortuito L..... essem, invitor à medico, ut foeminam à fetu liberarem. È duabus obstetricibus, non sine horrore discebam, foetum dimidiatum jam natum in sedili proximo esse depositum; reliquum nullo conatu potuisse extrahi! Inspicio & contemplor caput cum brachiis & thorace, dependente totâ medullâ spinali, transversè à reliquo truncō mox suprà diaphragma à matronis disruptum & separatum.

Misellâ igitur commodè collocatâ, manum in uterum demitto; massam verò undequaquè tumidam & renitentem se offerentem asciten ratus, perforavi dito diaphragma, unde aqua tanto cum fragore & tanta copia effluxit, ut subito undequaque super terram dissiparetur non sine summo stupore medici, qui aderat. Abdomine evacuato, exiit, adreptis à me pedibus, reliquus foetus truncus quam facillime pedes & manus tres tantum habebant digitos. Mater vero, propter vehementer & terribiles uteri confusiones, ex gangrænâ decimo die periit. Nisi id ipsis meis oculis vidissim, vix credidissim, tali modo discerpi posse infantem!

§. XIV. In omni ascite, tum simplice, tum benignâ, quemadmodum & in reliquis, indicationes curativæ sunt.
 1° Evacuare aquosam colluviem, ut potè quâ corpus ægrotantis opprimitur. 2° Prævenire recidivam. 3° Caustam latentem vel manifestam auferre, humores incidendo, absorptionem promovendo, & aëris humiditatem corrugando. 4° Robur ægro conciliare.

Utinam medicorum ubivis tanta esset auctoritas, quanta fuit *Philippi*, qui *Antigoni Regis* amico, cuius memorabilis historiæ *Celsus* (a) mentionem facit, sanationem promittet, plures procul dubio à benigniori hydropsis specie liberaremus. Ex ægri exemplo tamen facile intel-

(a) Lib. III. C. XXI. p. 161.

ligitur, quam terribilis & tristis sit morbus & quam inexplebilis sitis ! quum æger, diligenter tum à medico, tum à Rege custoditus, malagmata devorando & urinam suam bibendo in exitum sese præcipitavit. Cl. Allen autem emolumenta abstinentiæ à potu (a) variis exemplis probavit, illo pharmacopolæ, qui 30 dierum abstinentiæ se ab hydrope sanavit, altero Equitis aurati Sam. Ongly septuagenarii, qui deploratus habitus, forti animo sitim vix tolerabilem per aliquot menses sustinuit, ita ut per sex septemve annos ab hydrope inmunis vixerit. Similia etiam ab aliis fuere memorata. Non omnes tamen tantâ urgentur siti, quin imo paucissimi & ii præsertim, qui ex obstructo hepate, ictero prægresso, vel simili gravi morbo in ascitem incidunt, cujus tympanites intestinalis tandem comes est, & maculæ lividæ mortem nunciant.

Impeditur igitur diæta rigida quidem ascitis incrementum, sed morbus non tollitur. Quid ergo ? Evacuanda prius colluvies remediis internis, scilicet absorptio excitanda, dein eliminatio superflui, diureticis, sudoriferis, purgantibus, vomitoriis, etiam mercurio. Hic vero maxima difficultas !

Diuretica specialia certo certius non possidemus ; jure merito quippe pronunciavit eximus Lorry (b), societatis vestræ summum decus ; *urinæ excretionem sub naturæ, sed nullo modo sub artis imperio latere*. Doleo autem quam maximè, quod celeberrimi Tenonis, Reg. Acad. Scient. Socii (c), experimenta super diureticis nondum in similibus monstris adultis fuerint promota; multi enim monstruosâ hac conformatione nascuntur, uti ex Stalpartio, Ruysschio, Aldrovando, aliisque liquet. Ipse plures vidi & delineavi infantes ita natos, & in urbe Z.... casu fortuito adultum virum barbatum, cui tamquam hermophroditæ femininas vestes induerant, donec monstraverim esse virum, sed

(a) De morb. cutaneis, p. 322. | des Sciences. Année 1761, p. 115.
 (b) Mém. de l'Académie Royale | (c) Ib. p. 191. art. 26 ex Listero.

malè conformatum ; sed nimis à meā habitatione diffita fuit urbs , quam ut pericula hæc ipse facere potuerim.

In juventute meā *Sydenhamo* , tamquam oraculo fidem habens , etiam *lixivialia salia* ex vino *Rhenano* (a) hydro- picis propinavi , sed sine ullo successu felici , quapropter etiam audacter pronunciate ausus sum , diuretica specialia nondum esse cognita.

Purgantia quidem habemus omnis generis & indolis , verum etiam & eorum virtus dubia ; modo egregium *Sydenhami* tractatum de hydrope inspiciamus , & videbimus his præsidiis nullo modo fidendum esse. Juvante naturā remedium qualecumque semel vel bis , ut plurimum satis fecit ; constanter nullum. Draistica propter venenatam indolem suspecta & unā cum noxiis saluberrimos humores è corpore eliminando mali plus quam boni adulterunt.

Remedia interea etiam maximè venenata adhibita fuerunt , quemadmodum ex *Adis R. Acad. Scient.* (b) discimus , feminam marito 15 vel 20 grana opii simul propinasse eo felici eventu , ut sanatus fuerit per urinarum & sudoris profluvium ! Quum solanum furiosum seu maniacum adversus carcinomata incassum propinatum fuerat , tandem aduersus hydropa ad grana viij. datum fuit à *Cl. Gatacker* (c) cum successu. Præscripsi hoc scopo sæpius , sed vana fuerunt mea conamina.

Veteres , quemadmodum ex *Paulo Aegineta* (d) patet , vomitoria adhibuerunt ; ubicumque forti actione opus habebant , uti in hydrope & similibus affectionibus diuturnis. *Cl. Cruikshank* (e) nostris temporibus vomitum in hydrope quammaximè laudat , & commendat , quia in universum stimulat & machinæ toti concussionem dat , atque idcirco asciti mederi adfirmat. Probabile mihi videtur ,

(a) Tract. de hydrope oper. omn. p. 497.

(d) L. VII. C. X. p. 653. Vol. I.

(b) Mém. de l'Acad. Royale des Sciences. 1703.

art. Med. princ.

(c) Obs. on the internal use of the solanum furios.

(e) Remarks on M. Clare's Meth. Ib. p. 166.

non propter mechanicam eam actionem, quæ secundaria est, sed ideo commendabilia esse vomitoria, quod simul vehementer humores per alvum educunt *et* & *et*, sicuti ex *Sydenhami* fidelissimis observationibus patet (*a*). Commendat ideo elaterium, infus. Croci metallorum, corticemque internum sambuci, &c.

Cl. Du Verneugus (*b*) testatur se mercuriali salivatione sanatum vidisse hydropem. *Cruikshankius* (*c*) similiter affirmat, se unguentum mercuriale in ascite cum emolumento adhibuisse, tribuitque huic remedio magnam virtutem promovendi absorptionem in universum.

Exhibui remedia quæcumque à fide dignis auctoribus laudata fuerunt, etiam potentissima, sed cum successu infelici; propinavi gummi guttae ad scrup. j. addidi mercurium dulcem, dedi *turpethum minerale* ad grana aliquot, plura, sed exspectationem omnia fefellerunt. Quemadmodum adversus canis rabidi morsum, sic etiam adversus hydropem specificum quoddam ubique decantatur, quod reperitur nullibi, dum subinde affecti omnes miserè pereunt.

Quotiescumque recentiorum veterumque medicorum remedio inter se conferimus, patet, ex evacuantibus, maxime hydragogis & drasticis, atque ex emeticis fortioribus remedia fuisse petita, eorumque inventores non dogmaticos, non rationales, neque theoreticos fuisse, sed empiricos, vel potius homines inperitissimos, adeò ut fortuna plus boni præstiterit, quam prudens ratiocinatio. Omnium optimè autem artis medicae progressum *Celsus* exposuit: *repertis — medicinæ remediis homines de rationibus eorum differere cœpisse, nec post rationem medicinam esse inventam, sed post medicinam rationem esse quæstam* (*d*). Ex physiologiâ hodiernâ absorptionem, exhalationem, aëris diversas qualitates, &c, explicamus egregiè, sed

(*a*) Ib. p. 488. ad 496,

(*b*) Ib. p. 169.

(*c*)

P. 9 & 10.

morbos

morbos antiquius & què atquè hodiè observatos iisdem prorsus empiricis sanamus remedii. Introducta fuit in medicinam philosophia Aristotelis, Cartesii, Newtoni etiam spagyrica. Qualitates occultæ, fermentatio & putrefactio, adtractio, vis electrica, magnetica, &c. suas habuere periodos. Helleborus autem, tartarus emeticus, mercurius easdem vires exercuerunt. Humanum ingenium quidem varium fuit; natura vero constans & perpetua.

Tentanda tamen sunt remedia maximè rationalia, præ-primis illa, quæ absorptionem & eliminationem sine periculo excitant, diaphoretica, diuretica, quæ, interpolatis vicibus, emeticis & purgantibus sunt adjuvanda. Ex Celsi laudabili placito etiam balnea sicca, quammaximè calida, adhibenda; novimus enim ex Ill. Buffonii, Blagdenique experimentis hominem sine nullo respirationis incommodo insignem caloris gradum & subitaneam mutationem sub aëre frigido ferre posse.

§. X.V. Non raro autem natura ipsa sub ingenti aquarum copia succumbit, & ex Chirurgiâ præsidium exspectat, ut functiones suas liberiùs peragere queat. Admirabiliter sene animadvertisit Celsus (*a*) neque enim sanat emissus humor, sed medicinæ locum facit. Paracentesin ipse multoties cum sperato successu institui, vidique à pondere aquæ liberatam naturam sponte per diaphoresin, & per diuresin reliquam sape expulisse aquam!

Igitur, si satis bene valeat æger, si ab evacuatione nimia hydrops ascites, si nulla sitis urgeat, nullus icterus progressus fuerit, nullæ maculæ lividæ, nulla tympanites; post emissum humor ex medicina sanitas exspectari potest.

Eâ ratione verò vix unquam ex Chirurgiâ solatum petitur, sed ubi remedia omnia medicorum celeberrimorum, empiricorum, etiam anilia ubique cognita, vana fuerint, ad Chirurgiam, tamquam ad sacram anchoram

(a) Ib. p. 166.

confugiunt omnes. Ita veteres , ita parentes nostri egerunt. Quotidie idem contingit & fiet à nepotibus nostris. Frustrà verò ex solâ Chirurgiâ medelam tutam quæsiverunt hydropici , solamen quidem adfert , sed remedium non nisi rarissimè. Adnotavit etiam medecinæ parens , *seçtione* seu paracentesi , *paucos evadere* , de adfert. Lib. Sect. V. p. 522 & 29. Sine jaëstantiâ tamen adfirmare audeo , me forte centum diversis ægris administrasse paracentesin , nullum quidem ab encheiresi mortuum , sed non ultrà sex fuisse restitutos ; reliqui omnes , viri , fœminæ , virgines & infantes , redeuntibus aquis & viribus exhaustis tandem fatum subierunt.

Oportet idcircò , ut certò prævidere queat medicus ; quo in casu cum successu id est , sine repentinâ morte , & in ægrorum solamen institui possit Chirurgia , vel cum spe recuperandæ sanitatis ?

De signis igitur ascitis benignæ & acutæ nunc dicendum.

§. XVI. Quotiescumquè ascites contingit ex inanitione per hæmorrhagiam quamcumque , nullo alio vitio accidente , nisi ex evacuantibus inmoderatè adhibitis ; quibus febres intermitentes à veteribus , & à recentioribus curabantur , nullo viscere abdominali obstructo ; ubi siti non urgetur æger , & ejus robur ceterum constans est , ubi abdomen lentè & æquabiliter increvit , & nulla anasarca partium inferiorum adeat ; inferiorum enim intumescentiam ex compressis venis oriri diximus , quemadmodum in gravidis. *Hippocrates* manuum anasarcam pessimum signum judicavit , særissimè etiam ita reperii ; verùm aliquoties accidentalis fuisse videtur , quia sanitatem recuperarunt ægri.

Cutis abdominis præprimis debet esse sana , bene colorata ; nisi , ut aliquoties vidi , ex magnâ extensione maculæ subnigræ adessent , quales in gravidis frequenter locum habent.

Fluctuatio debet esse manifesta , quæ tamen in initio

sepe vix sensibilis est, nisi in summâ parte abdominalis sub cordis scrobiculo, quamquam increcente tumore etiam introrsum cedentibus musculis rectis, & pyramidilibus facile dignoscatur.

Laudabilissimum vero signum in universum est, cubi fluctuatio tenuitatem quamdam tactui exhibet, quoniam lympha intus contenta tum plerumque boni moris est, instar sanguinis seri dilutioris, coloris plus mihius lactei. Verum etiam & illud signum perpetuum non est, accidit enim mihi plus semel, ut, dum paracentesin administrabam, aquas flavas, turbidas, subpurulentasque, consistentiæ syrapi dilutioris repererim, & tamen egregium habuerim successum.

Paulus Aegineta (a) paracentesin non nisi ægris rectis & stantibus, vel in sellâ collocatis administrare volebat; si vero nimis debiles essent, quam ut hunc situm admitterent, suum recusabat ministerium. Suspicer, eum non nisi robustioribus hanc Chirurgiam commendare voluisse, eratque signum illud quidem callidè excogitatum & quodam modo probabile, minimè vero certum.

Sub his conditionibus melius est, ut, diureticis, dia-phoreticis, vomitoriis, & purgantibus incassum adhibitis, illico ad puncturam abdominalis procedamus. Optimè quippe monuit *Fothergillius* (b), in initio administrandam esse asciticis Chirurgiam, quia natura ipsa post modum non tantum liberiùs agit, sed non succumbit; & propter magnam illam distensionem diaphragma, musculi abdominales atque peritonæum ipsum non tantoperè vitiantur. Observatio *Cl. Mackenzie* hanc methodum egregiè confirmat (c); vitrum antimon. ceratum hydropicum 47, annorum egregiè evacuaverat; abdomen vero deinceps adeò intumuit, ut ovillam vesicam representaret umbilicus: sustinuit postea ter paracentesin, deinceps vero

(a) Lib. VI. C. L. p. 570. Ib. Tom. I.

(b) Med. Obs. and Inq. Tom. IV. on the use of tapping early in dropies. §. IX. p. 114;

(c) Ib. Vol. II. §. XXIV. p. 289, 290 & 296.

vomitum, & lib. aquæ rejectis, & sanitatem integram recuperavit æger.

Quotiescumque diù duravit ascites, etiamsi venter ovalem adquisiverit figuram, & protuberaverit ita ut umbilicus ad genia usque fuerit promotus, si modo nulla adfuerit sitis &c; paracentesis commendabilis est quoniam per multos annos absque ullâ corruptione, nullo accidente aëre, in abdomen undique clauso conservari potest. Ita memini, me ægram vidisse ventre turgido, ceterum bene valentem, cui ante viginti quinque annos punctionem commendaveram; in præcedenti §. IX. exemplum memoravi mulieris 82, annorum Londini mortuæ, quæ per 44 annos ascitica fuerat.

§. XVII. Egimus hucusque de signis ante paracentesin obviis; hanc de iis dicam, quæ sub Chirurgiâ & ex collectis atque servatis aquis manifesta evadunt. Immortalis, du Verneyus plus reliquis & diligentissime adtendit ad hæc phænomena, uti videre necesse est ex egregiâ ejus dissertatione *Adis Parisiis Acad. Reg. Scient. 703* insertâ, in quâ merito adnotat I. fœtorem aquæ esse suspectum. II. aquas sanguinolentas esse periculo plenas. III. similiter turbulentas, flavas, & intenſè rubras. IV. purulentæ visceris esse indicium, ubi membranulae in iis natant vel mucosa matières ad fundum desidet. V. si peradâ curatione parum lotii emittunt. Et VI. si post aquarum evacuationem ægri inquieti sunt, vel incommoditatem sentiunt. Hinc puto quod in membranulis mali signum.

His ejus principiis inbutus & auctoritate captus vehementer metuebam, dum mens. Aug. 1770 viro peregrino adulto paracentesin administrans aquam primâ vice profunde flavam, turbidamque ex cannulâ exeuntem conficerem! Notandum, quod etiam tum temporis fallaciam signi tactus acuti observaverim. Interim præter exspectationem omnia benè cesserunt, adeò, ut æger redierit versus finem ejusdem anni, eamdem encheiresin à me petens. Aqua vero alterâ vice extracta [ejusdem] erat

consistentiae & coloris. Domum regrediebatur quartâ post Chirurgiam die. Æstate autem anni 1771 eum optimè valentem sine ullo hydropis signo salutavi.

Feminæ deinceps post partum in ascitem lapsæ anno 1771 per paracentesin similes extraxi aquas ; sed priori observatione cautor factus sine prognosi eventum exspectavi. Bene interea cessit curatio, sanayi eam eodem modo altera vice ; intumescebat autem venter tertiâ vice. Consilium roganti denuo promisi , me tum valdè occupatum , post 4 & 5 dies reversurum. Accessi cum clariss. G. C.... Med. Doctore expertissimo , definito die , quo ventris tenuitatem omnino admirati sumus ! Narrabat mulier , se , pridiè per diuresin spontè natam , omnem aquam evacuasse ! Postmodum autem optimè valuit. Erat hæc eadem , cui uterus foras pellebatur ab increcentibus aquis.

Hæc tamen ita accipienda non sunt , ac si *Du Verneyus* male pronunciaisset ; in universum enim hæc omnia signa verissima expertus sum in aliis ægris ; his adnotationibus tantum indicare volui non esse perpetua.

Notandum autem stagnatione has aquas haud raro sedimentum deponere subpurulentum , quamquam propriè pus verum non sit , sæpiissimè enim id observavi in aquâ hydrocelarum eorum , quibus successivè per multos annos aquam perlucidissimam ope terebræ cannulatæ eduxeram. Observavi etiam in emortuorum abdominibus hydrope affectis simile sedimentum , quamquam nullibi viscus suppuratum adparuerit. Ex eâdem causâ etiam pelliculæ illæ tenues nascuntur , ex stagnatione scilicet.

§. XVIII. Evacuatis aquis & sub encheiresi hepar , lienem , aliaque abdominis viscera tactu dignoscere valemus : ita hepar sæpiissimè auctum & induratum deprehendi ; undè tamè mali multum natum non vidi ; sic ægræ decies septies intra quatuor annos paracentesin administravi , & singulis vicibus 30 vel 35 libras aquæ evocavi ; eadem encheiresis plusquam decies & octies in eadem muliere exercita fuit , eo successu , ut per decem annos satis

110 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

læte vixerit, & familiæ suæ curam gesserit, tribus diebus post Chirurgiam exceptis, quibus in lecto quiescere debebat ex nostro consilio.

Anno 1777. 25 Aug. Bruxellas transiens apertioni abdominis adfui feminæ emortuæ 32 annorum, quæ, etiamsi ante sex menses feliciter peperisset, propter ventris tumorem alterius fœtus adhucdum grida habebatur. In eâ aquæ sanguinolentæ multum intra abdomen, & intrà lævum thoracis cavum deprehendimus, lienemque adeò magnum, ut ex sinistro hypochondrio profundè intrà pelvim descenderet longus 20, latus ad minimum octo pollices. Hepar similiter induratum, cum lobo sinistro ad umbilicum usque descendebat. Uterus autem naturaliter erat constitutus; intestinorum tunicae vero crassæ & rubicundæ.

Fatendum, nunquam me tam magnum vidisse lienem, sed sæpiissimè induratos, & crassâ membranâ in gibbâ parte vestitos, qualenj etiam *Vesalius* (a) se in cive *Patavino* reperiisse memorat, sed sine nullo aquæ indicio.

In infantes lienes sæpè tumidos reperimus, placentam abdominis Belgæ vocant, rarissimè hydropæ stipatos.

Ità etiam in permultis cadaveribus hepata observavi indurata, in acynos facile divisibilia, pallidè flava, cum & sine calcuiis biliosis, sed absque ullo ascitis indicio.

Ex hoc igitur signo nihil infausti concludi mihi posse videtur, quod paracentesin vetaret.

Etenim si Chirurgia hæc non semper sanet, quemadmodum non nisi rarissimè facere monuimus, levamen tamen adfert, & corpori aptitudinem ad sanationem per Medicinam conciliat. Lethalem esse autem semper, quemadmodum multi, etiam ex peritissimis Medicis adseverarunt, neque meâ, neque aliorum experientiâ confirmatur. *Cælius Aurelianus* (b) veritatem, licet sine urba-

(a) C. H. F. Lib. V. C. IX. p. 627. | (b) Lib. III. C. VIII. §. CXXVII.
ed. Oporini. | p. 483 & 487.

nitate, his verbis exposuit: *omnes — paracentesi curatos, ut aiunt, mori apertissime mentiuntur. Nos enim quosdam vidimus evasisse, plurimi vero moriuntur; siquidem meden- tium tardante consilio serius paracentesis adhibetur. Addit, quod ex Celsus jam probavimus, aliis adjutoriis præparare corpus.*

Omnis Medici periti unanimi consensu in tarditatem, quam hæc Chirurgia plerumque administratur; culpam fatalis exitus rejecerunt. *Barbetti* (a) ob eamdem rationem notat; *multos paracentesi sanari posse, si citius admitterent.* *Fothergillius* (b), ut alios taceam, similiter conqueritur de nimis præpostera asciticorum Chirurgiâ.

Paracentesis igitur prudenter adhibita non modo levamen ægris adfert, & quemadmodum *Celsus* monet, *Medecinæ locum facit*, sed ægros ad corporis exercitationes, & ad negotia domestica idoneos reddit. Neque semel emitti humor debet, sed sibi, quamdiu vites ægri sinunt. *Meadius* (c) in feminâ viduâ sexages sexies institutam fuisse paracentesin memoria prodidit. Multis exemplis, ut potè nimis cognitis, felicitatem, quam pluries instituta fuit hæc Chirurgia, probare supervacuum existimo. Habet & hoc privilegium paracentesis, quod ejus ope hydatidæ tæniæ permulta ex abdomen exierint, septem vel octo mille, quemadmodum ex *Transact. Phil.* n° 370 citat *Cl. Allen* (d).

Id autem adjiciendum, naturam ipsam nobis monstrasse viam; aliquibus enim umbilicus sponte disruptus fuit, quinimmò & abdomen à latere dextro eo in loco, in quo punctione plurimum instituitur. Talia exempla *Wise- manius* adnotavit (e), & apud alios reperiuntur. His igitur missis progredior ad ipsam potius Chirurgiam, quam,

(a) *Med. Obs. and Inq.* Vol. IV. p. 114. on the use of tapping early in dropsies.

(b) *Prax. Med. Chir.* p. 183. Ed. Mengen.

(c) *Monita & præcept. Med.* p. 167.

(d) *On Surgery*, Vol. I. p. 101.

Obs. I.

(e) *Synops. univers. Med. Pract.* p. 394.

licet non absolutè desidereris, tamen illustrabo, quoniam observationes quasdam, vestrâ adtentione fortè non omnino indignas circa ægri situm, circa instrumenta & deligandi modum, propriâ & frequenti experientiâ edoctus, facere potuisse mili videor.

Ægri situs sub Chirurgiâ. §. XIX. In paracentesis descriptione adtendendum primum est ad ægri situm. Monuimus jam §. XVI hujus capititis, *Paulum Eginetam* ægris, vel in sedili collocatis vel stantibus hanc Chirurgiam administrasse; postmodum vero præsertim in *Belgio*, quemadmodum ex *Barbettio*, *Mekranio*, *Tulpio* aliisque discimus, decumbentibus abdomen aperuerunt, quemadmodum antiquioribus græcis Medicis usitatum erat. Abdomine perforato humorem effluentem situlâ exceperunt. Venter propter emissum humorem flaccidus, ægrisque valde incommodus subito necessitatem monstravit, humorem non omnem simul evocandi, sed vicibus variis, quemadmodum etiam *Celsus* commendavit.

Quoniam toties ipse hanc Chirurgiam administravi; ex variis collocationibus eam elegi, quæ in *Angliâ* præprimis usitator rest: scilicet ægrum super sedile sine brachiis ita desposui, ut à latere duo ministri gradatim ambabus manibus abdomen, effluente aqua, comprimere possent, dum ipse manu sinistrâ ejus anteriorem & inferiorem partem reprimebam & adactam cannulam dirigebam: Ea ratione diaphragma & viscera premuntur æquabiliter quaquaversum, neque mutatio illa subitanea locum habet, quæ antea toties syncopen adtulisse videtur.

Celeb. *Meadius* (a) se ita primum anno 1705 cum successu egisse nos docet, & deinceps splenium vino ebrium ventri applicasse, & fasciam superaccommodasse; quæ methodus post modum ab aliis semper fuit adhibita in *Angliâ*. Dissimulare tamen non possumus, à *Cælio Aureliano*, *Galeni* contemporaneo, manibus subjeclâs partes

(a) Oper. omn. p. 578.

fuisse compressas, congruè ægrotanti locato. Lib. III. C. VIII.
§. CXXXIV-XXXV. p. 483.

Intelligitur interea facile, tertium ministrum requiri, qui humorem idoneo vasculo exceptum removeat.

II. Instrumenta deinceps considerationem merentur; à veteribus, quemadmodum ex *Paulo* (a) patet, incisioni, scapello factæ, immittebatur fistula ænea, quam *Galenus* siphonem vocavit. Catheterem huic usui adhibendum esse *Cælius Aurelianus* præcipit. Lib. 3. c. 8. p. 482. §. 133. Parum interesse videtur, quomodocumque umbilicus aperiatur. *Wisemannus* enim (b) acu vel spinâ punctionem fieri debere docet. *A. S. Mekrenio* etiam discimus, feminam (c) sibi ipsi umbilicum forcice cum successu aperuisse.

Acus dein, cannulata inpropiè vocata & à *Mekrenio* descripta & argento facta, quam pro arbitrio perniciose cludebant, adhibita fuit. Perforatio cutis infrà vel à latere umbilici, instrumento propter argenti mollitiem tam debili, facilis non erat, atque eam ob rationem à *Barbettio* ex chalybe acus, cannæ instar, cava adhibita fuit (d). Acus illa cannulata vocata tamen non *Belgio* debetur, sed *Italicae*; Chirurgus enim Amstelædamensis *Blockius* illud à *Venetis* acceperat, forte à *D. Thouvenotto*, cui etiam in usu erat. Reticere tamen non possum, mihi acum similem ab *Hippocrate* descriptam videri: nam ubi de hydrope pectoris agit, jubet: *tertiam ab ultimâ costam adeò usque secato, deinde Terebrâ acutâ ulterius perforato* (e). Τρυπανες τροχλατηνες vel τρωγλιτηριοι uti *Cornaro* placet, non est terebra acuta, sed concava instar cannæ seu arundinis. *Galenus* forte siphonem adpellavit. Videtur tamen *Hippocrates* cutem prius incidisse, deinde terebrâ musculos inter costas perforasse. Loco terebræ cavæ tandem fistulam procul dubio adhibuerunt veteres.

(a) L. VI. C. L. p. 570.

edita, p. 108 & 110 in nobis.

(b) Ib. Obs. VII. p. 103.

(e) De hydrope pectoris Fæc. L. I.

(c) Obs. XLVII. p. 274.

ad VI. p. 545.

(d) *Barbettii Chir.* in-4°, à *Mangeto*

Chirurgi postea usurparunt stylum chalybeum, tribus faciebus in acumen desinentibus instruētum ab imā parte, ab alterā manubrio, ut commodè impelli possit. Stylum hunc cannā, id est, siphone prospexerunt ex argento tenuissimō, stylo optimè congruenti, ut simul cum acu seu stylo depelli posset in abdominis cavum. Acus illa inpropiè ab aliquibus *tricuspis* vocata fuit; non enim tres cuspides habet, sed unam formatam, ut monui, ex tribus faciebus in unam cuspidem desinentibus.

Cannæ ori supremo primò annulus additus fuit, sed propter defluxum aquæ juxtâ ejus marginem annulus ille cochleari fuit exornatus à celebri *Petito*, cui Chirurgia multa ingeniosè excogitata instrumenta debet.

Majoris autem momenti mihi videtur cannæ seu siphonis amplitudo. Instrumentum integrum hodiè *Troicart* aut *Trocart* adpellatum, & usitatum in *Gallia*, ab egregio vestro *Perretto* (a) delineatum, diametrum habet $\frac{1}{2}$ poll. seu duarum linearum *Parisienium*. Talem adhibere soleo; sed nullâ fenestrâ, nullo itinere juxtâ longitudinem instruētam.

Hoc instrumento, lentè quidem, sed egregiè emittitur humor; hora autem integra labitur, ut 30 librarum copia eliciatur: unde ministri æquè atquè Chirurgi terribiliter defatigantur. Adhibui igitur *Sharpii* acum Tab. III. B-C. (b) delineatum, cuius diameter est duplo major seu $\frac{1}{4}$ poll. Tempora igitur evacuationum esse debebant in ratione inversâ quadratorum diametrorum, quemadmodum etiam accidit; nam spatio unius quadrantis horæ abdomen ejusdem feminæ à 30 lib. aquæ liberatum fuit, sed simul tam subito, ut interea tussierit, & delinquere animo videretur. Quamobrem postmodum non amplius adhibere volui, defatigationem meam flocci faciens, quia ægræ commodior erat lentior evacuatio. Aliquando

(a) L'Art du Coutelier. F. VII.] (b) Treat. on the operat in Surgery
Tab. CI.] 1747. p. 64.

vomitus accidentalis viscidum humorem efficaciter ex cannulâ ursit (a).

III. Magni etiam momenti est cuspidis longitudo, quæ in citatâ 7 fig. *Perretti* est $4\frac{1}{2}$ linear; illa *Sharpii* $\frac{8}{12}$ linearum Parif. Profundior igitur adactio requiritur, qua lædi possent intestina, præprimis, si quando abdomen non est valde tensum.

Cuspidis longitudo.

IV. Adhibentur frequentissimè cannulæ fenestratae, quemadmodum est illa *Perretti*, Fig. 15. G. G., cuius fenestra ovalem habet figuram. Illæ *Sharpii* lumina habent quatuor ita disposita, ut instrumentum ad profunditatem poll. $1\frac{1}{2}$ ad minimum adigi debeat, ut ex superiori foramine effluat aqua, quum tantum ad $\frac{1}{4}$ poll. intropelli debeat acus *Parisina*.

Scire oportet lumina illa ovalia, etiam rotunda aliquando terribiliter nocere posse: accidit enim, dum ante annos circiter quindecim, ex meo consilio, aquam ex abdomen viri adulti macilento, emitteret Chirurgus, ut retrahendo cannulam omenti magnam partem, per fenestram illam ingressam simul foras protraheret; quæ cum propter coarctationem vulneris intrâ abdomen repellere non potui, forfice abscidi. Æger interea per multos dies conquestrus est de acutissimo dolore, desinente in vnlneris parte internâ, qui tandem transiit.

Cannulâ igitur non admodum plenâ & sine fenestrâ lateralibus utendum est.

V. Jam locus determinandus: quoniam aqua abdomen omne quaquaversum expandit, satis manifestum est, puncturam variis in locis commodè fieri posse. Veteres, uti ex *Hippocrate* (b) & præcipue ex *Paulo Eginetâ* (c) patet, dextrorum vel sinistrorum adigebant scapulum, prouti

Locus.

(a) Med. Qbd. and Enq. Vol. II. | (b) De affec. Lib. Sec. V. p. 511-29.
P. 116. | (c) Lib. VI. C. L. p. 510. E. G.

hepar vel lienem adfectum arbitrabantur. *Hippocrates* (a) etiam diversis iustificationibus, in umbilici ambitu factis, aquam emittendam esse voluit. *Belgæ* vero præcedentis seculi, *Hildani* vestigia prementes, etiamsi locum hunc *Celsus* jam collaudaverat, umbilicum pertundebant, quoniam viam eam natura jam sèpiùs monstraverat, & acui argenteæ erat aptior. Ita *Barbetti* inculcat, umbilicum, si protuberet, aperiendum esse (b), non autem in linea albâ. Videtur etiam *Hildanus* (c) censuisse, umbilicum minori periculo perforari. Non amo hunc locum, quia ob molitierū non resistit instrumento, & metum injicit, ne profundius acum adigendo intestina lœdat. Quapropter scalpellum præferendum esse existimo vel forficem, quemadmodum ex matronæ constantiâ à *Mekerenio* (d) relatâ patuit. Conslans autem hodiè mos obtinet depellendi acum sub umbilico, & ab ejus latere, medio loco inter eum & cristam ossis ilium, tamquam si eâ ratione arteria epigastrica interna, secundum faciem posticam musc. rect. abd. discurrentem, tutò evitari posset? quum animadvertendum sit, propter abdominis intumescientiam à se invicem separari proportionaliter hos musculos, atque ideo tatiorem hunc locum non esse, quam si ex arbitrio Chirurgi in loco maximè idoneo punctura fieret.

Prudentia *Barbetti*, in linea albâ non fieri debere aperturam, quemadmodum tamen non sine magnâ admiratione se vidisse notat, satis supervacanea est: ipse enim plus semel acum adegi in lineam albam sine ullo pravo symptomate, admirabili cum successu. Procul dubio secutus est veteres, qui, quilequid nervosæ esset qualitatis, monente *Cælio Aureliano* (e), punctionibus inimicum censabant, etiam peritonæum, quapropter paracentesin penitus

(a) De locis in homine Sect. IV. Barbettium Ibid. p. 178.

p. 417-19. 17262. 41. 18. 16. 16. 16.

(b) Ib. p. 107. 1. 3. 4. 1. 1. 1. 1.

(c) Ex suffragio Mangeti. not. in p. 478.

(d) V. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

(e) Lib. III. C. VIII. §. CXXIII.

reprobabant *Euenor* & *Erasistratus*. Ridiculum vero mihi videtur, hodiè metuere velle aponevrosis lœsiones, quemadmodum olim puncturam aponevrosis musculi bicipitis in V. S. medianæ metuebant Chirurgi. Quum nervis cutaneis lœsis horrenda illa symptomata tribuenda sint, quæ V. S. infeliciter factis supervenient. Accedit, quod venter nullibi pertundi possit, quin trium muscularum abdominalium aponevroses transfodiamus.

Docebimus in posterum genu articulum incidi frequissimè sine ullo unquam pravo symptomate.

Atque ideo *Hippocratis* monito auscultarem, hydropercorum pectinem non esse contingendum; adscedit enim vesica aliquando ad umbilicum usquæ, quamquam raro in asciticis, quia parum mingentes etiam vesicam depresso habent. Posset etiam cathetere prius emoliri urinam Chirurgus, ut certior esset, atque ideo locus infra umbilicum minimè metuendus, sed incidenda & acu cannulata perpungenda est linea alba ad duos digitos transversos infra umbilicum, atque eo modo & musculi recti, & interna evitantur viscera.

V. I. Enascitur jam celebris illa quæstio: *num simul & semel, an variis vicibus evacuanda sit aqua?* *Hippocrates*, quem omnes veteres secuti sunt, expressè monet Aph. 27 Lib. 6. *Sed si hydroperci, si aqua universum effluat, moriuntur.* Credebant, ut ex *Cælio Aureliano* patet (a) non solum corruptum humorem, sed & naturalem spiritum simul excludi. Aquam seu liquorem omnem semel atque eodem tempore auferendum esse arbitratus est, si respatiuntur. Ib. p. 483 §. 134. *Celsus* (b) etiam idcirco præcipit, per insequentes dies circa singulas heminas emitendum: nec inmerito; non enim comprimebant ventrem hydropercorum, quemadmodum etiam non fecerunt præteriti & hujus saeculi Chirurgi. Monuimus jamjam *Meadium* anno 1705 primum hanc methodum introduxisse; eam,

*Aqua an simul
evacuanda?*

(a) Lib. III. C. X. §. CXXIII. p. 478.

(b) Lib. VII. C. XV. p. 451.

licet plurimi in Angliâ, per Europam tamen perpauci sequuntur. Si verò abdomen ritè à ministris comprimitur, ita ut unâ manu latera inania, alterâ abdomen constringant, omnis humor simul & semel emitti potest. Ea ratione non procul à meâ habitatione, eodem temporis momento, 168 libr. aquæ ex abdomine virginis fuerunt evacuatæ; elapsis tribus annis 32 lib., à quo tempore perfectam sanationem recepit.

Monui in principio, me quam sèpissimè hanc Chirurgiam propriis manibus administrasse, & multoties adfuisse, dum ab aliis exercebatur ex meo consilio, & semper omnem humorum simul fuisse evocatum sine ullo pravo symptomate, si tussim excipias, cuius mentionem feci, quum de cannulae acùs nimio diametro egi.

Non itamen ultimas, ut ita dicam, guttas exhauiio, ne abdomen nimirum comprimatur, & æger frustrè defatigetur, quoniam ferè semper repeti debet Chirurgia, & non redeunte morbo, remanens humor facile absorbetur.

Non reticendum, sèpè non nisi parvam lymphæ copiam per cannulam oevacuari, & nescio ob quam causam reliquam retardari, etiamsi nullum obstaculum intùs percipiatur ex demisso per cannam specillo. Accidit mihi eo in casu semper, ut post injectam fasciam ex vulnusculo guttatim lympham effluere observaverim; ad hanc moram adtendisse vix, nisi *Wifemannus* ejus mentionem fecisset (a).

VII. Interea vos fugere non potest, Viri illi! ex summi *Halesii* consilio à *Cl. Chirurgo Ch. Warrik* novam sanandi methodum fuisse propositam (b), injiciendo scilicet **vīnum rubrum** cum aqua *Bristolensis* dilutum intra hidropicorum abdomen. Oportet, secundum eos, abdomen binis in locis & binis acubus cannulatis perforare, ut per **vīnam** humor eliciantur, dum per alteram **vīnum rubrum**

(a) Ib. Vol. I. p. 203.

(b) Phil. transact. N° 473-73-78, & in Vol. XLIX. Part. II. n. 65. p. 484.

dilutum vel aqua picis liquidæ infunditur. Testatur *Warrikius*, in unico successum habuisse, seu, mihi videtur, non nocuisse. Sanitatem procul dubio ex aliâ causâ recepit æger; nam tres feminæ, post adhibitam hanc eandem methodum, deinceps subito fatum subierunt. Injecit is Chirurgus postea aq. picis liq. in abdomen canis vivi, qui inde intrà duas horas, intestinis omnibus inflammatis, periit. In alterius canis abdomen vinum rubrum aquâ *Bristolensis* dilutum injectum bene cessit, idque spatio 48 horarum omne absorptum fuit.

Utrum nova sit methodus, vix determinare audio, quoniam *Hippocrates* thoracem paracentesi evacuatum infuso vulnerario eluere voluit.

Methodum *Halesii* novam ideo non probo, quoniam indicationi non respondet, neque respondere potest, nisi debilitatem in peritonæo solo statuamus. Viscera enim tæbe adfecta, constitutio totius corporis inde depravata, in integrum restitui nequeunt.

Ex quam plurimis etiam sanationibus, quæ paracentesin insecuræ sunt, quamquam nulla injectio adhibita fuerit, satis patet, non indigere ægros tali remedio. Nocet etiam duplex punctio, quia una sufficit.

Si aqua picis liquidæ ante 35 annos, pro panaceâ à millenis habita, intùs sumta mali nihil præstiterit, indè non sequitur, intrà abdomen injectam non nocitaram. Ex cel. *Langrishi* egregiis experimentis jam diu comprobatum est, aquam Laurocerasi stillatitiam, intrà abdomina canum injectam, fuisse lethalem, quamquam bibita etiam hominibus non nocuerit. Videtur mihi cani ex injectâ aquâ picis liquidæ simile quid accidisse. Quædam igitur hausta non nocent, quæ externè, inprimis intestinis admota, valdequam venenata sunt.

VIII. In principio post Chirurgiam admotis primum spleniis sp. vino ebriis deligavi totum apparatus fasciâ oblongâ in duo capita voluta circulari, sed frustrâ, quoniam circuitiones subito loco movebantur.

Deligatio.

Multum deinceps præsidii ex *Al. Monroi* (*a*) fasciâ pro hydropticis exspectans eam sedulò adhibui, sed successu infausto : nam, simul atque abdomen propter erumpentes aquas flaccescebat, fenestra fasciæ, per quam acus adacta erat, cannulam è loco & situ suo urgebat : etiam, peractâ encheiresi, adstringi non poterat ; quapropter eam abjicere, & præcedenti modo, licet imperfecto abdomen vincire debui.

Veteres solerter legendo, nitidissimam fasciam in *Galeni* libro de fasciis reperi, *aurigam* vocatam (*b*), quoniam eâ aurigâ pectus, continendarum costarum gratiâ, antiquitus vinciebatur. Hanc, ut potè maximè convenientem & egregiam adhibui, quoniam pro re natâ adtrahi potest, & aciculis formari super injecta splenia : aurigam deinceps semper applicui, & datâ occasione adhucdum adplico.

Eodem hoc vinculo etiam optimè prævenire potui, ne hepatis suo pondere post evacuatas aquas diaphragma dorsum traheret, cuius incommodi *Erasistratus* ex *Cælii Aureliani* suffragio (*c*) merito meminit ; arguens : *secus jecur aquæ innatans ab eâ sustineri.*

His omnibus pœactis, oportet ægrum in lecto decumbere & paregoricum usurpare, ut quies corpori & animo tranquillitas concilietur.

De Tympanis. §. XX. Ascitem haud raro tympanites concomitatur, in primis si diù morbus durat, & paracentesis debito tempore non instituitur : est verò aëris in ipsis intestinis collectio, nata ex corruptis alimentis, quoniam viscera chylopoïética vitiata sunt, & tonum suum amiserunt. *Hippocrates* tympanitidem hydropeum siccum (*d*) appellans adnotat : *spirationes non nisi eretâ cervice in iis ægris fieri* ; quod etiam observavi, & contingere videtur, quoniam erigendo cervicem costas supremas melius elevare,

(*a*) Med. Essays Vol. I. art. 18.
Tab. III. p. 171.

(*b*) Charler. Tom. XII. G. de fasciis
C. CVI.

(*c*) L. III. C. VIII. §. CLXXIV.
p. 479.

(*d*) Coac. prætot. §. CDXXIV. p. 185.
H. etiam nota Foesii p. 178 videnda A. E.
ad eo que

adèque melius spirare possunt. Hepar autem in hoc morbo semper adfectum est, sitis inexplebilis, & fames perpetua, ita ut quævis ingurgitent sine ullo solamine; emaciantur simul adèo, ut cutis investiens prominentia capitis ossa deteratur ex solo decubito in has partes. *Tantali* fabula ex iis desumpta videtur, adèo tristis est eorum conditio! Interea fleabilem hanc vitam amant adèo, ut morborum omnium & misericordiarum finem, mortem quam maximè abhorreant, quemadmodum jam ex *Aretæo* probavimus.

Fabulantur aliqui Medici, non modò tympaniam descriptam intestinalem locum habere, sed & abdominalem seu ventralem aëre intra peritonæi cavum hærente. Aër vero nullas habet intra peritonæum vias; est igitur hæc species tympaniæ impossibilis. Citat quidem *Cl. Meadius* casum, in quo aër internum ventrem occupabat (*a*), sed propter colon sphacelatum. Confirmat deinceps ex actis *Parisiniis* (*b*) & *Transact. philos.* (*c*) possibilitatem hujus tympaniæ ventralis; examinavi idcirco citationem act. *Paris.* Est ea ex *Littrii* dissertatione de promta, sed negligenter admodum; *Littrius* enim contrarium demonstrat, & rem expedit, uti nos fecimus, subjungens (*d*) semper esse lethalem, intestinalem puta; nam ventralis, uti jam diximus, contingere nequit, nisi propter vulnus receptum vel gangrenam aër & ingesta ventrem ipsum intrant, quemadmodum aër pleuras ingreditur, ubi vesiculæ pulmonales disruptæ sunt: de quo vitio abundè in §. V. Cap. III. egimus.

Tympanites autem merito vocatus fuit hic adfectus; quoniam propter inflata intestina abdomen tumet, & ad ad tactum sonum instar tympani edat. Aliquando gyri intestinorum conspicui, & integumenta abdominis ita extenuata sunt, ut ferè perluccant.

(*a*) Op. omn. p. 508 & 509.

(*b*) Mém. de l'Acad. Royale des Sciences, 1713. p. 235.

(*c*) N° 414.

(*d*) Mém. de l'Acad. Royale des Sciences, 1713. p. mili 314. Ed. in-8.

122 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

*Hydrops
saccatus.*

§. XXI. Vehementer autem hallucinatus est *du Verneyus*, dum in Act. A. R. Scient. Hydropem saccatum tamquam suo tempore 1703 alibi incognitum statuit, quoniam *Tulpius* (a), *Mekrenius* (b), aliique ex *Belgis* eum 1651 exactissimè descripsérunt. Contingit virginibus, mulieribus, etiam gravidis; saccato hydrope laborantes non raro quoque uterum gesserunt, partumque ediderunt sanissimum.

Occupat hoc vitium plerumque ovarium, vel aliam vicinam uteri partem, ita ut, increcente tumore, ipsum uterum in se rapere videatur, & pro verò uteri hydrope perperà habitum fuerit. *Morgagnus*, quemadmodum in aliis morbis describendis, sic etiam in his reliquos autores superavit, præprimis (c) §. XL. Epist. Anat. 39, ubi simul adnotavit, *ut plurimum in sinistro ovario originem habere*. Non tamem excipit dextrum, cuius etiam apud alios exempla prostant, à *Cl. Paisley* (d) v. g. in dextro ovario hydrops observatus fuit, sinistro integro, etiam à *J. H. Peyer* (e), qui ex aliis similes casus citat.

Ægræ sub hoc vitio ceterum bene valent, colorem sanissimum appetitumque naturalem servant, donec pondus eas opprimit; tum demum ægrotare incipiunt. Quando abdōmen turget, fluctuatio tamquam in asciticis percipitur; in initio vero tumor inæquabiliter abdominis eam partem distendit, qua ovarium adfectum est. Ex hoc signo solo morbum dignoscere potui in castissimâ virgine, propter abdominis augmentum perperà gravida habita, cuius mors & abdomen apertum medicorum errores confirmarunt. Certum verò se reddere potest medicus per uteri explorationem, cuius graviditas 5°. mense quam facillime dignosci potest. Videtur etiam *Hippocrates* ad ostii uteri dispositus.

(a) Lib. IV. C. XLIV. impr. C. XLV.
P. 350.

(b) Obs. XLIX. p. 287. anno 1657.

(c) P. 135.

(d) Med. Ess. and Obs. Part. II.
Vol. V. p. 256 & 258.

(e) Act. Hely. Vol. I. in appendice
p. 9. etiam Acta Harlem. Vol. VI.
Part. II. consulenda.

tionem in hoc morbo diligenter adtendisse; docet enim *ofitum uteri ad radum esse gracilem*. De reliquis signis, ubi de uteri hydrope pleniū agemus.

Est autem hic hydrops aqua intrà cellulosas ovarii vel ligamenti uteri lati tunicas effusa, adeòque sub peritonæo, & ad tubercula veterum pertinet; format præterea saccum, in initio inæquabilem, per integumenta abdominis foras conspicuum, deinceps propter arctum spatiū magis compactum, magis æquabilem & uniformem, atque viscera omnia obtegentem tumorem efficit, qui ea simul cum hepate & liene sursùm premit intra thoracem. Unde, quemadmodum in ascite, propter immunitum spatiū dyspnoea eò pejor, quoniam musculi abdominales non tam facile cedunt, quam in ascite.

Nulla in ovarii saccato hydrope sitis, nulla cutis flavedo, verbo nullum symptoma pravum, quam quod è mecanismo ipsius vitii deduci potest.

Medelam interea nunquam capit, quoniam omnis humor effusus est in cavum præternaturale, ubi nulla organa dantur resorbentia, nullus reperitur exitus! Jure merito monuit *C. Morgagnus* (a) & *du Verneyo* suffragio comprobavit, se nullam hydrope saccato tentatam sanata vidisse, omnesque, quibus aquæ eductæ erant, ad oneris molestiam minuendam, periisse. *Boerhaevius* (b) similiter incurabilem morbum esse pronunciavit.

Memini, me 3 dec. 1756 aperuisse mulierem emortuam, quæ ante sex menses partum enixa propter hydrope, ascitem à Medicis judicatum, paracentesim plus osmel subierat. Observavimus ea occasione, quæcumque etiam à *Tulpio* in corpore uxoris celeb. Pictoris *Flinkii* fuerunt animadversa, & aquæ libras reperimus, ad minimum 80: nam aperto sacco diluvium formavit, quod fistulis duabus excipere non potuere adstantes. Liquor ipse variis in locu-

(a) Ep. anat. Med. 38. §. LXVIII, &c.

(b) §. MCCXXIII. p. 316.

lamentis, tum separatis, tum inter se unitis & perviis comprehensus, coloris diversi & consistentiae variæ erat. Erat autem ovarium sinistrum adfectum.

Igitur, quoniam liquor ipse absorberi nequit, vana sunt omnia diuretica, hydragoga, sudorifera, vomitoria, &c. quæ omnia absorptionem possibilem statuunt; nullum itaque solatium nisi ex paracentesi quæ dubia est, & sœpe supervacua, propter loculamentorum diversitatem punctio igitur, quia periculo vacat, eodem tempore variis in locis institui deberet, secùs nullum adfertur levamen.

Hydrops uteri.

§. XLI. De vero uteris hydrope, etiamsi à veteribus, & quidem à solertissimo medico *Aretæo* (a), & inter recentiores à *Tulpio* (b) aliisque statuatur, dubitavi semper, atque etiam hoc momento vehementer dubito; animo enim concipere nequeo uterum, qui ostio gaudet tam insigni, & tam dilatibili, evacuatum non iri, simul atque ultramodum distenderetur. *Hippocrates* etiam credidisse videtur, propriè non esse intrà uterum, sed in ejus partibus vicinis; si inquit, hydrops uteri oboriatur, menses pauciores & deteriores contingunt, deinde drepente deficiunt, venter intumescit, mammæ siccaæ evadunt; & in reliquis malè habet, sibique utero gestate videtur, ex quibus eam aquâ intercute laborare cognoscas— osculum uteri ad tactum gracile deprehenditur. De Nat. muliebri Lib. Sect. V. p. 563 & 38 Fœsii. Repetit idem illud uteri signum ib. p. 576 & 53. Si intra uterum aquam collectam existisset, menses fluere, licet pauciores, non dixisset; uteri osculum ad tactum esse gracile, ut à verâ grayiditate distinguatur. Ubi dicit de morbis Sect. V. p. 515 & 31 quinetiam in utero mulieribus hydrops contingit, & in ventre, & in cruribus, intelligendum in ovariis, ut ex reliquis signis ab eo adlati patet.

Non possum autem non, quin observationem prorsus

(a) Lib. II. C. I. p. 51. A. B. ed. Boerh.

(b) Lib. III. C. XXXII. p. 235. Videntur molæ aut placentaæ diu retentæ fuisse.

Singularem; de insigni aquæ ex utero effluxu, exhibeam, quam in dissert. Joach. Frid. Bolten *Med. Hamburgensis & art. obst. Lectoris filius Argentorati* anno 1780 edidit. Mercatoris uxoris spatio 27 annorum ex ipso utero quotidie evacuavit sex vel septem libras aquæ limpidissimæ, inodoræ, hodiè tantum lib. 1 plus minusve. Ex calculo intermedio pag. 14 dissip. exhibito, patet, matronam hanc evacuasse 24 375 libras, sanitatem integrâ manente usque in hunc diem, cuius ipse oculatus testis fui, quum ante 4 menses Hamburgi cum eâ prandium sumebam; narravit mihi eâ occasione, se in prioribus annis, præter propter situlam seu aquæ lib. 30 singulis diebus ex utero emississe. Opinatur autem jure merito *Boltenius*, non in uteri cavo hunc humorem fuisse formatum, sed ex aliâ parte per tubæ orificium intrâ ejus cavum effusum per vias naturales effluxisse.

Fernelius casum haud dissimilem narrat mulieris, quæ singulis mensibus ex utero sex vel orto pelves emisit (a).

Non ignoro *Lieutaldum* vestrum (b) plures casus ex variis compilasse ad verum uteri hydropem confirmandum, de quibus omnibus vehementer dubito, quia hydropem ovarii, utpote uterum simul comprehendentem, uteri hydropem adpellavit. Quid de *Vesalii* observatione dicendum? quâ uterus ultra centum & octoginta libras aquæ continuisse dicitur? *Lieutaldus* locum non addidit, *Boltenius* sine ulteriori examine *Lieutaldum* citat, & ita plures agunt. *Vesalius* autem (c) longè aliud quid scripsit. Dicit enim; « In mulieris — utero serosæ aquæ post mortem » 180 lib — reperi, nullibi interius circum intestina « præsente aquâ, aut laxo in manibus aut pedibus » tumore, aut etiam viscerum — magnus ille uterus, « cuius fundi os miris modis coaluerat toto, anteriori suâ

(a) Pathol. L. VI. C. XV.

(b) Hist. Anat. Med. Tom. I. p. 322. & seq.

(c) De C. H. F. Lib. V. C. IX.

p. 617. in fine Ed. Oporini, 2^{mo} 1542.

» sede, peritonæo erat connatum, & dextri testis glan-
 » dulæ miris modis non secùs excreverant; quamsi novem
 » decemve anserum aut struthiocamelorum potius ova uni
 » inessent membranæ, singula humore ovorum albo non
 » absimili, aut paulo crassiore oppleta ». Quid, quo^s,
 manifestius, quam quod saccatus fuerit hydrops, & quidem
 in latere sinistro, in quo fere semper ovarii hydropem
 observavit *Morgagnus*? Uteri hydrops à *Boneto* (*a*) adlatus,
 magnus adeò, ut puerum decem annorum facile recipere,
 procul omni dubio etiam saccatus fuit hydrops.

Quandoquidem nullum indubitatum veri hydropis uteri
 interni exemplum reperiatur, tamen *Cl. Donaldus Monro* (*b*),
 nescio quo principio, adfirmare ausus est; *digitus aut*
catheter per os uteri sine laceratione aut nimia vi intrusus
solvit momento morbum. Si verò non procedit, & fludatio
sentitur, stylus cuspidatus in saccum adigendus, statimque
poslediter iterum tentandum est, digitum in uterum inmittere, &c.
 Si rem bene capio, hypothetica mèrè est hæc curatio,
 nulla solertia definita, per vulvam an per abdomen in
 uterus demittenda sit acus? nullum omnino exemplum
 in medium fertur.

Neque etiam probabile est, unquam verum uteri
 hydropem fuisse observatum, quoniam tam facile cum
 hydrope ovarii confunditur; hujus enim quum tam innu-
 merabiles vidi, & memoravit exempla *Morgagnus*;
 hydropis tamen uteri veri nullum citavit.

*Aquarum in
gravidis proflu-
vium,*

§. XXIII. Observationes, quas Ill. *Swietenius* adulit;
 ad verum uteri hydropem confirmandum, vel sunt ovarii
 vel aquarum profluvia ex gravidarum uteris, de quibus
 accidentiis, quoniam crebro occurunt, nunc dicendum.
 Contingit illud profluvium, quando amnii liquor nimis
 copiosus expellitur, vel quando à quinto mense gravidi-
 tatis ostium uteri apertum non satis resistit incremento

(*a*) *Sepulchret.* Lib. III. s. XXI. | (*b*) *De Hydrope.* §. LXXXVII.
 Obs. XXXV. | p. 47. Ed. 1753.

liquoris, & ejus profluvio cedit; evacuationem hanc, utpote naturalissimam, partus, ut plurimum, sequitur felicissimus.

Medici, qui uterum gerentium curam non habuerunt, neque ex professo earum accidentiis invigilarunt, quibus etiam *Swietenius* adnumerandus, crediderunt aquam illam, inter chorion & uterum collectam, sibi exitum quæsivisse, quoniam profluvium liquoris chorii & amnii periculosum frustra existimarunt.

Legamus igitur potius experimentis multis plenum *Ludovicæ Bourgeois* librum (a), & reperiemus solertissimam hanc obstetricem profluvium illud etiam 12 diebus ante partum non raro observasse, sufficiente copia remanente. *Cl. Pujos* (b) idem saepius accidisse gravidis memoriaz prodidit mense septimo & mense octavo, & tamen puerperas has robustos viventesque foetus enixas esse. Vocat has aquas spurias, *des fausses eaux* (c), putatque inter chorion & amnion aquam collectam se uteri per ostium exonerasse, quod ex cohaesione harum membranarum non admodum probabile videtur, quamquam impossibile omnino non judicem, quoniam saepissime aquæ gelatinosæ copiam insignem inter placentam & amnium observavi.

Cl. Noortwykins (d) ingens uteri profluvium uxori suæ contigisse narrat quarto graviditatis mense, quod, sine ullâ tamen probabili ratione, separationi placentæ ab utero tribuit.

Willugbejus (e) Anglus, celebris olim Chirurgus obstetricans hujus symptomatis egregiam dat historiam: scilicet aliquando guttatum saepè magnâ copiâ simul se evacuare aquam, nec unquam periculosam esse gravidis. Si mea aliquid valet auctoritas, confirmare queo, me aliquoties profluvium illud sine ullâ noxâ in gravidis observasse.

(a) L. I. p. 93.

(b) Accouchemens, p. 86.

(c) Ib. p. 86.

(d) Hist. uteri gravidí, p. 23.

& 28.

(e) Ad calcem arcani Reenhuæ.

Hydrops uteri interea absolutam historiam dedit Mauri-
ceus (a) , quam Boerhaeius (b) floccifecisse videtur ob
fallacia graviditatis signa , scilicet in hydropicis mammae
esse flaccidas , nullum infantis motum percipi , &c , quæ
profecto certi nihil indicant.

Negare interea non possumus , graviditatem sibi pro-
 ascite habitam fuisse ; ita memini 1759 & 1760 bis para-
 centesin gravidis fuisse administratam eo successu , ut
 amnii liquore emisso in unâ partus gemellorum , in alterâ
 unius fuerit actus sine ullâ accidentiâ . Tertiò tandem
 anno 1764 , quæ perforatio etiam nullam noxam adtulit .

Unde manifestum est , in dato utero verè hydropico
 paracentesin vitatâ vesicâ posse adhiberi inter umbilicum
 & pubem , sine ullâ pravâ sequelâ .

Hydrops cystici. §. XXIV. Quemadmodum sub peritonæo in ovariis ,
 vel alibi in ligamentis latis uteri , ita etiam aliis in locis
 cystes formari possunt , quæ quaquaversum in abdomen mobiles , uti mihi sentire contigit , ad molem bubulae
 vesicæ increscere possunt , pondere non modo graves &
 molestæ , sed & sedis irruptione .

In his cystibus seu folliculis hydatides reperiuntur ;
 quemadmodum auctores gravissimi , inter quos *Tulpius (c)* ,
Nuckius (d) , *Ruyshius (e)* aliique , permultis exemplis
 comprobarunt , adeo ut vesicæ , stomacho , mesenterioque
 adnatæ cystes , folliculi seu tuberculæ hydatidibus plexis-
 sima fuerint reperta . Exemplum illud memorabile , quod
 ex *Vesalio* §. XXII adtulimus , in dextro ovario hydatides
 ab eo conspectas esse penitus confirmat .

Optimo autem jure mihi *Morgagnus (f)* observasse
 videtur « nullam in saccato interno hydrope curationis
 » spem esse , quoniam cystim néque absumere licet , néque

(a) *Malad. des Femmes grosses , &c.* | cum hydat. continebat.
 p. 175.

(d) *Adenogr. curios.* p. 124. cal.

(b) §. M. CXXIV. p. 316.

(e) *Obs. Chirurg.* XXVII. p. 33. &

(c) *Lib. II. C. XXXIV.* p. 148.
 mesenterio adnata cystis Libr. XX. sq.

Obs. XLVI. p. 61.

(f) *Ep. XXXVIII.* §. LXX p. 119.

» extirpare .

» extirpare ». Et quotiescumque sanatus dicitur, non immerito suspicatur, propter communia cum ascite signa, propriè hanc sanatam fuisse: improbabile etiam non est, aliquando cystes disruptas & in abdomen effusas ascites vetam efformasse, quemadmodum post magnum risum mulieris cuidam, & alteri post vomitum accidisse notat ex *Weperii* suffragio.

Adversus hydatides, uti ante monui, nullum remedium; quemadmodum earum nullum est signum, nisi post mortem, vel casu fortuito, postquam incisio quædam abdomini facta fuit. È renibus per urinam foras egredi possunt, quemadmodum etiam ex utero vel ejus polypo per vaginam: sed de iis non agitur.

§. XXV. Utrum hydrops seu aquæ unquam collectæ fuerint inter péritonæum & abdominis musculos, ignoro; adfirmsat tamen *Meadius*. Ad saccatos vero tum mihi pertinere videntur, habebuntque signa cum ascite æquivoca, & curationem dubiam.

Accidit tamen, ut ingentem tumorem viderim inter umbilicum & sternum virginis junioris, quo ventriculus adeo comprimebatur, ut nauœa perpetuâ adficeretur ægra. Propter fluctuationem manifestam acum cannulatam audacter adegi, & aquæ limpidæ unc. XVI circiter emisi. Fasciâ adjectâ deinceps feliciter sanata fuit puëlla. Videbatur humor sedem habuisse inter aponevroticam illam vaginam, intra quam musculus rectus abdominis discurrit, quæ naturalem quamdam cavitatem format, intra quam partes carneæ hujus musculi liberè moventur.

§. XXVI. De Anasarcâ tandem dicendum; estque vel universalis absque ascite, vel particularis artuum inferiorum ex tumente ab domine, ob graviditatem, ascite, vel hydropem saccatum nata. Cognoscitur species prima quam facillimè ex tumore universali, ex pallore faciei, atque ex foveis digitorum impressiones insequentibus.

Universalis vero anasarca sëpissimè nascitur ex quâlibet inanitione, ex febribus intermittentibus non debitè sanatis,

*Hydrops inter
aponevrosis ab
dominis.*

De Anasarcâ.

brevi ex debilitate corporis in universum, visceribus integris. Quoniam verò, uti antea docuimus, inter omnes tunicae adiposae cellulas communis est, atque in eas loco adipis, cuius apotheca est tela cellulosa, lympha deponitur, leucophlegmasia seu aqua inter cutem appellatur.

Quemadmodum adeps, ubi ex morbis homines decumbunt, resorpta in nutrimentum cedit, atque in emphysemate à causâ externâ, uti costæ fracturâ, pulmonum vel asp. arteriæ vulnere aér resorbetur & avolat, sic etiam aquosa illa colluvies absorpta circulationi redditur, & per alias vias eliminatur.

Hydrops hic, si sitim comitem non habet, sanatur evacuantibus quibuscumque, ideo maximum auxilium vomitum præstare *Aëtius* (a) pronunciavit. Hydragoga & diuretica jam antea monuimus minùs tuta esse; nisi ad certa dierum intervalla exhibeantur, roborantibus interea stimulantibus & chalybeatis non neglectis.

Friktiones simul, si ferre potest æger, adhibendæ, balnea sicca & suffimigia. Conveniunt etiam ligamenta, quibus corpus, ab extremis partibus incipiendo & ad superna procedendo, constringere oportet ex *Aëtii* præscripto (b); etiam à *Wismanno* (c) deligationes abdominis, crurum, brachiorumque satis adstrictæ commendantur. Iis vero facies & genitalia curari nequeunt; cedit vero in viris maximè scroti & inguinis anasarca suffimigiis ex mastiche & bensoë, etiam pannis laneis exceptis.

Verissimè autem *Aretæus* dixit: (d) « difficilis tympanias est; adhuc tympaniâ difficilior anasarca; oportet enim medicum hoc in morbo totum hominem permutare, quod per jovem neque diis ipsis facile fuerit ».

§. XXVII. In uterum gerentibus, octavo & nono gestationis mense, quemadmodum anteà monui, ex compressis venis saphanis pudendisque externis, fortè &

*Anasarca
gravidarum.*

(a) Tetrabibl. III. Serm. II. C. XXX.

P. 544.

(b) Ib. G—H.

(c) Vol. I. p. 207.

(d) Ib. A—B. p. 38.

iliacis pedes aliquando tument horribiliter, etiam vulvæ labia adeò, ut vesicas binas aliquandò mentiantur aquâ turgidas, quibus ostium pudendi ità occluditur, ut urinam vix emittere queant gravidæ, aut fœtu vix ullus exitus superesse videatur. Ex subitaneâ tamen mutatione situs fœtûs non raro suâ sponte recedit anasarca, secùs ad partum usque molesta.

Ante triginta sex annos primâ vice tumentia illa labia pudendi in gravidâ observavi, metuens simul, ut partum edere posset propter adparentem vulvæ angustiam! adpli- cui primùm ad tumorem imminendum cataplasma discutiens; quum is non cederet, scarificationes feci, quibus pudenda in initio quidem paululum detumescebant, sed incisionibus subito sanatis ad eamdem molem iterum increverunt. Obstetrix, cui cura mandata erat, haud minùs me sollicita erat de partu; contigit autem præter omnium exspectationem, ut dolores ad partum aborti tam celeriter & tam feliciter simul fœtum propellerent, ut, antequam obstetrix accedere potuerit, totus natus esset! Eventum hunc inopinatum obstetrix haud minùs mirata est, quam ego, qui tum temporis huic arti inprimis incumbebam, ut Medicinam in posterum majori cum certitudine exercere possem.

Ex cadaverum & parturientium diligentiori examine deinceps rem ita se habere comperi I. quod pudendorum labia supra os pubis adscendant, quodque II. ostium vulvæ retrorsum aperiatur versus coccygem. III. Partu verò instantे à doloribus ostium uteri internum antrorsum pellitur, aperiturque ab involucris fœtus, donec externo respondeat. IV. Utrumque dein à membranis fœtum involventibus, & liquore anni turgidis dilatatur. V. His ruptis caput deorsum propulsum perinæum anumque urget extrorsum, & illæsis labiis nascitur infans.

Vidi illud symptoma deinceps aliquoties, & etiam nuper cum eodem semper felici eventu. Numquam verò amplius cataplasmata adhibui, neque scarificationes; sed

decubitus nunc in unum, nunc in alterum latus non sine
fructu commendavi.

Expertissimi interim *Wismanni* consilium adversus
tumentes pedes non est spernendum (a), ut fasciis constringantur,
quò commodius incedant gravidæ.

*Pedum anasarcæ
in asciticis.*

§. XXVIII. Quotiescumque ex ascite femora, tibiaz
& pudenda tument, *Hippocratis* consilio utendum est (b),
& cutis peracuto scalpello multis & crebris vulnusculis
pertundenda. *Cælius Aurelianus* ex auctoritate *Asclepiadis*
commendat, *punctionem* supra talum, scarificationes;
etiam adusiones ex *Socratis Chirurgi* consilio ib. p. 489.
§. C. XLIX-L-LI. *Aëtius* similiter pedum, scroti, pudendorumque;
femorum, surarum, etiam ventris superioris
incisiones commendavit (c), *deinceps sale marino confi-
candas*. Et quidem egregiè; secùs enim illicò clauduntur;
& incisiones de novo faciendas requirit. Vesicatoria cruribus
admovenda esse *Meadius* auctor est, etiamsi ea
periculosa judicaverit *Sydenhamus*. Natura ipsa aliquando
hanc viam monstrat, & cuticulam tibiarum elevando,
millenisque rimulis pertundendo aquam jugiter eliminat,
quemadmodum plus semel mihi videre contigit. Eo modo
ex panniculo adiposo humor non tantum, sed ex ipso
peritonæo resorptus exitum invenit.

Prævenio autem tempestivâ paracentesi anasarcam, ne
unquam in tantam molem intumescant extrema, pudendum
& imus venter; anasarca enim oritur, quoniam
venæ epigastricæ externæ similiter atque pudendæ in
sphænæ truncum ex crurali ortum fese exonerant, & à
pendulo & turgente abdomen comprimuntur.

(a) Ib. p. 205.

(c) *Tetrab.* III. *Serm.* II. C. XXX.

(b) *De intern. affect. Sect. V.* p. 544.
Fœsi L. XXII.

p. 544. art. *Med. princ.* Tom. II.

CAPUT QUINTUM.

De Hydrocele in utroque sexu.

s. I. **Q**UUM Galenus duas propagines peritonæi, quæ utrinque funiculum spermaticum, & testiculos in simiis involvunt, detexisset, atque πόρος vocasset, seu meatus; à recentioribus non adtententibus magnum illum & incomparabilem Anatomicum nunquam hominis cadaver incisso, meatus illi hominibus tributi, & tantā lūmī cum obscuritate descripti fuerunt, ut, quid per eos collinearent, nemo intellexerit.

Meatus illi interea, id est, quales in simiis conspi-
ciuntur, etiam in permultis quidem aliis quadrupedibus
observati fuerunt; in homine vero neutquam; in adulto
enim sano pæritoneum undique clausum repererunt omnes,
uti *Douglaffius*, *Winstowus* ceterique.

Hallerus autem meatum hunc seu πόρον in infante aper-
tum & integrum videns, non tanquam naturæ conve-
nientem, sed præter eam & vitiosum consideravit, ut
herniam adpellaverit congenitam; quapropter non magni
feci ejus observationem, donec *Cl. Hunterus Londini*,
& eodem ferè tempore *Cl. Camperus* in *Belgis*, atque
Cl. Girardi (a) post modum in *Italiâ*, aliisque forsan alibi
recenter natos ex industriâ examinantes eamdem prorsus
fabricam, eandem strukturam invenirent, eandemque planè
ad applicationem ad herniosos & eorum accidentias facerent,
quemadmodum ex *Pottio*, *Hunteri* commentariis Medicis,
& ex actis *Harlemensibus* patet.

Objectum illud tantæ utilitatis existimavi, ad cognos-
cendam herniarum in infantibus originem, ut ad *Galenum*

(a) Ad calcem nov. Edit. XVII. de tunica testis vaginali additæ sunt.
Tab. Santorini à *Cl. M. Girardi* Obs. Parmæ 1775.

intelligendum melius permultas simias canesque fecuerim primum, & deinceps ingentem numerum recenter natorum infantum utriusque sexus. In quorum maximâ parte comperi peritonæum naturaliter constitutum, quemadmodum in simiis à Galeno animadversum fuit, & peritonæi propagines seu processus concomitari non tantum funiculum spermaticum, sed & testiculo & epididymidi exhibere membranam exteriorem modo simili, quo hepati, lienii & intestinis.

Observavi etiam in femininis foetibus peritonæi processum, concomitantem ligamentum uteri teres foras extrâ annulum muscularum abdominalium usque ad pubem. Fingamus igitur E. F. C. B. A. esse peritonæi *porum*


seu *meatum* totum pervium; ostium intrâ abdomen E. A. Coarctationem F. B. supra testiculum. Tum neesse erit, meatum hunc, ejusdem structuræ quum sit, atque reliquum peritonæum, vasis etiam innumerabilibus gaudere exhalantibus; absorbentibus, lymphaticis, ceterisque.

Ordo autem naturæ hic est, I. ut vel ante nativitatem, vel non diu post peritonæi pars F. B. contrahatur, & concrescat mox suprà testiculum in F. B. ormetque testiculi vaginali tunicam, reliquâ peritonæi fabricâ integrâ manente.


II. Ut pars E. F. B. A. deinceps contrahatur circa funiculum spermaticum, & in bene constitutis formet funiculi tunicam, non amplius separabilem!

III. Ubi verò, quemadmodum frequenter accidit, ostium meatus apertum manet in E. A. meatus diverticulum formabit E. F. B. A.

IV. Si quando occalescit in E. A. neque cum funiculo concrescit; tum peritonæi propago eo in loco manebit, integra; & humor collectus intra hunc porum formabit hydrocelen funiculi, seu genus secundum herniæ aquosæ auctorum.



V. In puellis autem, ubi non clauditur ostium, meatus in E. A., si D G H pro lig. uteri tereti habetur, remanebit diverticulum à Nuckio (*a*) primum observatum, & eleganter delineatum. E. G. A.



VI. Si autem ostium E A constringitur, reliquo meatu integro, cum aqua colligi eodem modo poterit, ac in pueris, & tumor exoriti hydrocelæ non absimilis.

Etiam si, ut certior de his omnibus essem, permultos recenter natos aperuerim; in observationibus meis Anatomicis tantum 60 adnotatos reperio, neglectis procul dubio reliquis propter ejusdem phænomeni frequentiam, & similitudinem. Intra 16 annos eo scopo examinavi 43 pueros & 17 puellas.

Ex his 43 solum modo 5 meatus in utroque latere erant clausi, & ostia cicatrice obducta, quemadmodum in adultis bene constitutis.

Undecim habebant meatum integrum ab utroque latere, & ostia penitus aperta. In quatuor meatus dexter clausus, sinistræ integer & apertus.

Tres utrimque gerebant testiculum intra abdomen, cylindro peritonati innitentem.

In tribus testiculis dexter intra abdomen delitescebat, sinistri in scroto; meatus vero ejus lateris totus erat apertus & integer.

Tres in dextro latere meatum habebant integrum, in sinistro diverticulum tantum.

In tribus dexter meatus erat clausus, in sinistro latere diverticulum.

Numerus meatuum apertorum seu diverticularum in dextro latere erat 29. In sinistro latere 24. Unde liquet, dispositionem ad hernias intestinales lateris dextri in puëris

(*a*) Adenogr. cutis C. X. p. 130.

majorem esse quam ad illas lateris sinistri, & quidem uti²⁹: 24. In universum tamen patet, citius perfici testiculum in latere sinistro.

In 17 puellis 3 diverticula adparuere in latere dextro, unum tantum cum vestigio quodam, alterum à latere sinistro. Evidens proinde est, à nativitate ex 43 pueris 38 ad hernias fuisse dispositos, & ex 17 puellis tantum 5.

Notandum autem pelvim osseam in infantia valde arctam esse & vesicam urinariam suprà ejus oram versus umbilicum altè adscendere; undè sequitur, intestina à musculis abdominalibus, & diaphragmate vehementer premi versus meatuum memoratorum ostia; incremente verò cum ætate pelvi, & descendente vesicâ intrà ejus oram, pressionem in hæc ostia longe minorem evadere. Clauduntur interea & cicatrice firmantur adeò perfectâ hæc ostia, ut in bene constitutis ne nota quidem adpareat tertio, vel quarto ætatis anno.

Quoniam in utroque latere idem illud, id est, ejusdem fabricæ peritonæum, vaginalem testiculi tunicam efformat; evidentius nihil est, quam quod utriusque lateris tunica vaginalis æquabiliter prona esse debeat in hydrocelen, quod tamen non ita evenit; centiès quippe hydrocelen circà testiculum sinistrum observamus contrâ unicum casum in latere dextro. Agimus de hydrocele ex internâ causâ natâ. Idem à *Morgagno* observatum; est autem illud quam maximè singulare, etiam ovarii sinistri hydropem in feminis multò frequentiorem esse dextro.

Vidi tamen præprimis in infantibus hydrocelen in utroque latere; vidi etiam in dextro latere virorum; sed rariùs. Neque etiam semper has diversitates curatè adnotavi: innumerabiles enim vidi, & quotidiè multas per punctiōnem evacuo. Frequentissimum quippe senibus est vitium.

Ex iis verò, quæ adnotavi, legitimè concludi potest, intestinales hernias lateris dextri in infantibus paulò frequentiores esse sinistris, scilicet uti²⁹; 24. Ex indicibus autem

autem accuratis mihi à Chirurgis, qui pauperibus bracheria jussu magistratus A.... tribuunt, exhibitis colligere potui, in proiectioribus hominibus dextras bubonoceles esse ad sinistras, uti 109:49. seu præter propter uti 2:1. Ab anno 1744 enim ad 1758 adhibita fuerunt bracheria pro dextro latere 1089. pro sinistro 490. pro duplici herniâ 389. pro umbilicalibus herniis 10.—1089. Igitur sunt: 490::109:49. Unde patet, ostia meatuum lateris sinistri citius claudi, & melius dextris; sed animadversiones hæ, quamquam utilissimæ, ad præsentem quæstionem minùs spectant: quapropter ad hydrocelen revertor.

§. II. In junioribus puellis aliquoties ad locum annuli externi abdominis tumorem oblongum ovi columbini magnitudinis observavi, qui pro herniâ habitus intropelli tamen non poterat, sed adtentius exanimatus hydrocelen indicabat, seu humorem intrà diverticulum peritonæi collectum. Memini me in *Chirurgia curiosa Purmanni* hujus herniæ spuriæ primam mentionem factam legisse; verum post modum hanc hydrocelen etiam in quadragenaria ovi gallinacei magnitudinis observavi; sed non sanavi, quoniam doloris & periculi expers nullum alicujus momenti incommodum adferebat.

In puellis hos innocuos tumores, discutiente emplastro è cumino v. gr. & similibus dissipare conatus sum; eventum autem hujus remedii non novi, quoniam parentes, ubi periculum non urget, raro medicorum consilio diu utuntur.

Si non cedunt discutientibus, eodem modo sanandæ, quo hydrocelæ in viris, de quibus nunc dicendum.

§. III. In pueris & viris hydrocele tumorem efficit indolentem, aquosum, in tunica cellulosa scroti, seu anasarcam, solo visu facile dignoscendam.

In recenter natis scrotum ob pedum decussationem in utero materno, atque arctum spatium in ultimo gestationis mense, nec non propter dolores ad partum, si diu caput in pelvis angustiis hæret, tumet sapissimè rubello humore, tamquam si fugillatum foret.

Durat illud vitium raro ultrà aliquot dies, dissipaturque facilè fomento vinoſo, in primis, si *R.* ſeminum cumini admifetur. Sæpius autem in die medicamentum illud renovare oportet, quoniam ab urinis, &c. medicamenti virtus deperditur.

In viris raro contingit, niſi ſimul ascites adſit; tum verò, uti præcepimus. C. IV. §. XXVI & XXVIII. Exſiccantibus ſuffimigiis ſimilibusque curatur. *Cl. Schmukeruſ* (a) teſtatur in miſcell. Chirurgicis ſe ex vapore accti egregium ſucceſſum habuiſſe. Accidit autem aliquando ex frigore, ſic nuper in quinquagenario ſcroti & pedis anafarcam vidi, & ſatis feliciter cum fumo maſtiches atque olibani reſtitui.

His ex voto non ſuccedentibus, inciſionibus ſeu ſcarificationibus lanceolâ factis utendū, quibus, uti *Wiemannuſ* (b) præcepit, ſubitò fanatur: vel ſcrotum iſum ſetaceo transverſum tranſuendum in parte inferiori, ut ſimul anafarca ventris diſſipetur. Format illud vitium igitur primam hydroceles ſpeciem.

§. IV. Altera eſt, ubi aqua colligitur intrà meatum ſeu tunicam vaginalē funiculi ſpermatici. Efficit ea tumores variæ magnitudinis inter annulum abdominalē & teſticulum, qui, quum valdè renitent, aliquandò pro tertio teſticulo fruſtra habit̄ fuerunt.

Tales hydrocelas permultas vidi, & externis remediis ſupra laudatis, aliquandò punctione, ceu paracentesi, fanavi.

§. V. Tertia verò ſpecies hydrocelæ ſeu humor intrà tunicam vaginalē teſtis collectus frequentiſſime adultos ex internā cauſā adſicit, etiam pueros, eſque vel ſimplex vel duplex maximè in instantibus. Concomitatur aliquando veras enterocelas, etiam ſarcocelias, & haud raro induratos ex prægressis morbis venereis teſticulos.

Aliquandò ex niſu vehementiori, ex iectu eſt. Subitò

(a) Gazzett. Salut. n° 43. 18. oct. 1781.

(b) Ib. Vol. I. p. 207 & 208.

oritur intrà alterutriùs testiculi vaginam, in quo casu plus sanguinis quam aquæ continet, aliquando sanguinem merum. Conqueruntur ægri ferè omnes, id sibi cum interno quodam sonitu, tamquam si chorda tenuis frangeretur, accidisse. Species hæc aquosæ herniæ testiculum dextrum æque atque sinistrum adficit; hydrocele verò pedentimi nata, adultis & senibus frequens, sinistrum testiculum magis quam dextrum.

Tumor ipse, licet ad annulum usque adscendens & tensus, indolens est, satis mollis ad tactum cum funiculi spermatici naturali tenuitate: fluctuatio in eo raro distinctè percipitur.

Increscit hydrocele aliquandò ad magnitudinem horrendam, totum præputium sèpè secum trahens, ita ut penis occultetur, præputiumque umbilici oblongi figuram referat. Urina in eo casu, præsertim senibus, acrior, juxta scrotum distillans, excoriatione magnam molestiam creat.

Certiores de fluido contento evaderent Medici, si veterum more candelam vel solares radios adhiberent, ut ex perluciditate vitii naturam cognoscerent, neque in hoc casu *Petro Franco* (*d*) fidendum, tamquam si hoc signum effet omni exceptione majus, *lequel signe*, uti dicit, *est fortissimè*. Sèpissimè enim testiculus affectus est, quamquam tumor transluceat. Qui contrarium statuit, idem tuetur, ac si digit i ossibus carerent, quoniam ad candelam perluculent.

Hydroceles perluciditas indicat, sanguinem non esse effusum, intestina aut omentum non esse prolapsa, integrum tumorem non esse sarcocelen, quoniam judicium ex funiculo spermatico sèpè fallax est.

S. VI. Indicatio primaria est, ut sublevetur pondus tumoris, dependentis à funiculo spermatico, suspensorio seu subligaculo; altera ut dissipetur effusus humor. Huic

140 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

variis modis succurritur epithematibus, aromatibus, & discutientibus, suffumigiis & frictione mercuriali. Iis vero si non cedit, atque ultrà modum turget tunica vaginalis, exrahi debet aqua incisione & fistulâ, siphone vel terebrâ cavâ seu acu cannulatâ; cujus commodior est administratio, quam scalpelli, licet minus tuta, quotiescumque testiculi conditio suspecta est.

Paracentesis autem hunc morbum non magis quam ascitem sanat, etiamsi posse remediis similiter locum faciat, in primis in puerulis, quorum utriusque testiculi tunicam vaginalem ad pugni magnitudinem expansam acu cannulatâ evacuare coactus fui aliquoties, ut discutientia efficacius agerent.

In tenerâ illâ aetate semper ex voto successit sanatio, in adultis non item: nunquam enim paracentesi, & illico post aptissimis remediis applicatis sanare potui hydrocelem, ne quidem in juvenibus. Quid ergo? suspensorio elevandus testiculus, qui subinde iterum de novo intumescit, donec eidem curationi subjiciatur. Repetitio haec molestiam creat, non tantum ob Chirurgicæ necessitatem sed quoniam facile lreditur atque contunditur serotum plus justo tumidum. Militibus equestribus idcirco, & similibus sapè necessaria est integra curatis, quæ barbaro vocabulo hodiè *radicalis* audit.

§. VII. Examinanda igitur primum venit curationis hujus integræ seu *radicalis* indoles, deinceps methodorum varietas, ut optima eligatur. Curatio perfecta, integra vel radicalis dicitur, ubi suppuratione in testiculi superficie & tunicâ vaginali, modo quocumque productâ, partes hæc inter se concrescunt, ita ut destruetis organis secretoriis seu exhalantibus vel infiltrantibus impediatur recidiva.

Obtinetur hic finis vel incisione totius tumoris, vel irritatione cum penicillo ex lino facto, seu turundâ, acùs cannulâ, internè factâ, vel cum setaceo aut caustico externè admodumato; de quibus diversis methodis le

Dranus (*a*), in primis vero *Cl. Sabatierus* (*b*) videndus, etiam *Platnerus* (*c*), qui de industriâ & egregiè de hoc vicio & ejus curatione egerunt.

P. Franco (*d*) sequentem encheiresin proposuit 1° ut incisio 2 vel 3 digit. latitudinis pro hydroceles magnitudine fiat; 2° ut penicillus factus ex lino carpto, ex lino vel spongiâ demittatur in vulnus, idque apertum teneat. *Fabricius ab Aquapendente*, qui *Petro Franco* coetaneus fuit, similiter turundam laudavit, quam methodum *Ruyfchius* adnotavit. Inter hodiernos autem *Cl. Warnerus* (*e*) solus mentionem facit turundæ, scilicet à quibusdam, incisione factâ, candelæ æscharoticæ urethræ destinatae partem dimitti, ut suppuratio conglutinationem prædictam promoveat; addit vero *Warnerus* ab aliis spongiam præparatam adhiberi. Eatenus igitur cum *P. Franco* similem Chirurgiam tradidit.

A. Monroe senior autem irritationem per canthulam terebræ cuspidatæ simpliciter produci posse prodidit (*f*), non tamen eâ fide commendavit, tamquam si methodus hæc certa esset & tuta; de industriâ enim addit, se nunquam eam adhibitam vidisse, atque idecò expressè sub-jungit (*Imention it diffidently*), se ejus cum diffidentia mentionem facere.

Wifemannus integrum curationem optimè per causticum obtineri (*g*) testatur, quam Chirurgiam his diebus *Cl. Else* de novo commendavit, tamquam permultis experimentis confirmatam (*h*). Hanc profectò prærogativam habet causticum, qnod in nosocomio Sancti Thomæ Londini, cuius *Cl. Else* Chirurgus primarius est, per longam annorum seriem cum successu perpetuo adhibitum fuerit ad hydro-

(*a*) Oper. de Chir. p. 180 & seq.

(*b*) Mém. de l'Acad. de Chir. Tom. V. p. 170.

(*c*) Opusc. Tom. I. p. 336.

(*d*) Traité des Hernies, p. 81 & 82. Ed. 1567.

(*e*) Cases in Surgery, p. 106.

(*f*) Medical essays, &c. Tom. V. Part. I. §. XXII. p. 253.

(*g*) Ib. Vol. I. §. IX. p. 209 & 213.

(*h*) An essay on the cure of the hydrocele by caustics 1770.

celas radicitùs sanandas. Ingenuè tamen fatetur *Cl. Else* (a), se semel vidisse, quod redierit malum.

Celebris autem *P. Pott* setaceum, tamquam optimum remedium, de novo (b) ardenter commendat, & reliquas omnes methodos acri judicio damnans & præprimis caustica, setaceum, tamquam unicum & optimum præsidium reliquis omnibus anteponit. *Jobus à Mekeren* jam diù adnotaverat, herniam aquosam sanari incisione, setaceo & terebrâ cannulatâ (c), subjungens deinceps *Guidonem à Galeno* hanc ultimam methodum didicisse. *Galenus* verò hæc habet (d): *In hydrocele (Chirurgia) vacuationem molimus quidem immisso siphone — porro exciditur una cum adfeda ipso, veluti in ius, quæ ante comprehensa sunt, etiam pars adfæda: ita in herniosis aliq id peritonæti.*

§. VIII. Fateor, me curationem per incisionem, ut pote dolorificam, plus minusve periculoſam, & ex *le Dranni* suffragio per sex septimanas durantem nunquam adhibuisse, sed semper paracentesin cum acu parvâ cannulatâ commendasse & administrasse. Usus sum acu ordinariâ huic curationi destinatâ; nullam autem notionem habeo acūs elasticæ, à *J. Andrcâ* (e) tamquam melioris commendata, quapropter ejus emolumenta probare nequeo.

Functionem præferendam censui, quoniam, si deciès in anno & per 40 annos ejus repetitio desideraretur; æger per totam vitam non nisi per 400 minuta; diutiùs enim unico minuto raro durat hæc Chirurgia, incommodum, toleratu facile & periculi omnis expers, pateretur, id est, per 6 horas & $\frac{1}{2}$. Ponamus pro numero rotundo 7 horas. Quum sub incisionis encheiresi & curatione 1000 horas summo cum dolore, nec sine periculo & cum negotiorum omnium neglectu transigeret; quapropter *le Dranno* adserior; commendandam non esse hanc sanationem, nisi sum-

(a) Ib. p. 48.

(b) An account of the method, of obtaining a perfect or radical cure of the hydrocele by means of a seton.

(c) Obs. XLVIII. p. 282.

(d) Merh. medendi class. 7. L. XIV.

C. XIII. p. 90. G-H.

(e) Gazett. Salut. n° 43. 25 Oct. 1781.

moperè urgeat æger. Liquet etiam ex *A. Monroo* (*a*), virum, antea per incisionem ab hydrocele sanatum, ut dicunt radicitùs, denuò vitio eodem affectum, & causatis per multos annos sanatum mansisse.

Curationem per turundam nunquam molitus sum; accidit autem mihi bis, ut testiculum plus minus cannulâ laeserim propter ægri, se nimis subito erigentis, imprudenter. Secuta est inflammatio & gangrena in septuagenario anno 1772, cui antea quinquies acum cannulatam administraveram; suppuratio deinceps, & ex infortunio hoc perfecta utriusque sanatio. Per quatuor autem septimanas duravit curatio, antequam peracta esset, dum interea summis doloribus & vita periculo fuerunt expositi. *Job van Mekeren* idem infortunium cum felici eventu contigit (*b*), etiam *Visemanno* (*c*).

Causticum quo fato nondum adhibuerim, ignoro; probabiliter ex præjudicatione, quoniam à principio, quo animum arti apollineæ adplicui, præceptores mei omnes in causticorum pericula acriter inveherent. Ex *Visemanni* tamen & *Elsei* testimentiis fidelissimis patet, laude non carere.

Setaceum vero ex celeb. *Pottii* consilio ter egregio cum successu adhibui; fatendum tamen, dolorificam esse curationem, & ægrum diu lecto adligari. Administravi equestri militi, quia equum adscendere & exercitia sine periculo peragere non poterat. Nobili etiam juveni, quia indecorum putabat, tanto tumore eâ attate adfici; tandem civi cuidam, quoniam tumor arti, quam profitebatur, incommodus erat.

Videtur mihi *P. Franco* ante duo sacula hanc vel similem methodum commendasse (*d*); scilicet setaceum sericum ex octo vel novem filis compositum, acus operatum quotidie trahendum esse, ut aqua exeat paulatim

(*a*) Ib. p. 249 & 50. ad 252.
(*b*) Obs. XLVI p. 285.

(*c*) Ib. Vol. I. §. VI. p. 214.
(*d*) Ib. p. 49.

144 MÉMOIRES DE LA SOCIÉTÉ ROYALE

In Pottiana methodo aqua omnis effluit per cannulam, antequam acus, setaceum trahens, adigi potest. Fit autem eo modo quam tutissimè.

§. IX. Sanatio verò perfecta nunquam tentanda, nisi ex præviis signis vel ex prægressâ punctione constet, testiculum bene esse constitutum. Quotiescumque testiculus induratus est, sine metu terebra adigi non potest, atque eo in casu parvam incisionem cum scalpello præferrem: hac occasione monere oportet, me in induratis ex labe venerea testiculis nunquam farcoelen natam vidisse, sed induratos testiculos ab hydrocele sæpiùs concomitatos.

Inveteratis enterocelis, ubi hydrocele adest, nihil agendum, quoniam raro mole peccat. Sed quando sanguis effusus est, & coagulatus intra tunicam testis vaginalis, quemadmodum ex causâ prægressâ, ex tumoris opacitate, & ex acus cannulatæ administratione sciri potest; melius est, ut incisio juxta longitudinem herniæ fiat, methodo à clarissimis *le Dranno* & *Sharpio* abundè exposita, & omnis sanguis coagulatus, qui per cannulam exire nequit, tollatur, & gangræna totius scroti, sphacelus, imo mors ipsa præveniatur. Chirurgiam hanc tanto non commendarem ardore, nisi tristissimos inde vidissem effectus, & ab aliis, ubi ab *Hildano*, relatos legissem.

§. X. Colligamus itaque in summam, quæ circa curationes harum aquosarum herniarum proposuimus, statuimusque; discutientibus frustra adhibitis, caustica & setacea esse aptissima præsidia in puellarum, mulierumque hydrocelis, etiam turundas, seu spongiæ præparatæ penicillum ab *Warnero* adhibitum (a), quia causticis & setaceis mihi commodius esse videtur.

In pueris vero punctionem per terebram cavam celebrandam esse, ut remediis melius auscultet vitium.

In viris, ubi simplex est hydrocele, sive in tunica vaginali testiculi, sive in eâ funiculi spermatici humor

(a) *Ib. Case 29. p. 106.*

collectus sit, integris generationis organis, paracentesin esse commendabiliorem curatione perfectâ seu radicali, nisi necessitas eam jubeat.

In hæmatocèle verò, incisionem præferendam esse turundis, causticis & fetaceis quibuscumque, etiam concavæ terebræ.

C A P U T S E X T U M .

*De marsupiorum seu bursarum sub cute, & sub musculis
sitarum, necnon vaginalium tendinum humore.*

s. I. **Q**UEMADMODUM ubique, ex Naturæ summâ providentia, mobilitati partium corporis nostri marsupio quodam cavo cellulari prospectum est; sic ejus exempla sub cute olecrani & genu, & sub musculis variis in locis observamus.

Infrà genū, v. ad patellam inmediatè sub cute, qua plus minus corrugata est, marsupium datur magnum in aliquot cancellos, membranaceis septimentis inter se communicantes, divisum; quod veluti thorax, abdomen & testiculi tunica humectatur rore interno, qui similiter ac in aliis cavitatibus augetur, tumoremque facit plus vel minus magnum, aliquando ad capitis infantini magnitudinem usque.

Lupia, barbaro vocabulo, indolens hic tumor à neotericis vocatur; accidit potissimum iis, qui genuflexionibus continuis hanc bursam plus justo comprimunt, ex ictu, lapsu, brevi ex omni caussâ organicam ejus structuram turbante. Si recens, cedit discutientibus externis, spirituosis, camphoratis & similibus. Ubi inveteratum est malum, caustico aperitur, vel scalpello, vel acus cannulatæ ope humor, frequenter spissus & tenax emittitur; deinceps medicamentis ut plurimum cedit. Vix annus est,

quo ex tumore tali caput infantinum æquante per acum cannulatam unc. xvi. liquidi, perlucidi, subrubelli, spissioris evocavi; loculamenta tamen omnia inde non exhauriebantur subito, sed pedetentim; collapsus tumor tandem ad pristinum & naturalem statum redactus est.

Cl. Gooch (*a*) duos tales tumores incisione curavit, quamquam veram mali fedem non cognovisse videatur; perperam enim habitu fuerunt pro melicera; citat etiam casus similes ab aliis curatos, subjungens tandem alios per absorptionem sanationem recepisse, sp. Mindereri, sale ammoniaco acetato soluto, drasticis interpolatis vicibus, singulis quatuor vel quinque diebus, vel diureticis.

§. II. Magis autem miratus sum tumorem similem ad olecranon viri 28 annorum mense Mart. 1766, qui ex ictu & perpetua deinceps contusione ortus ad ovi anserini excreverat molem. Tumor erat mollis, elasticus, pars cutis rugosa ad inferiorem tumoris partem areolam mammæ repræsentabat. Consului ut à Chirурgo longitudinaliter incideretur, quo facto protinus effluxere laminæ permultæ, pelluciditatis & consistentiæ gelatinæ C. Cervi, supra se invicem figuratae, uti Lilii radicis bulbi. Evacuatâ bursâ & digestivo & linteo carpo inpletâ, atque ad suppurationem redactâ, tumor postea feliciter sanatus fuit.

Anno 1767 in viro sexagenario similem tumorem seu *lupiam* vidi, qui emplastro è sapone dissipatus est. *Cl. Gooch* insuper adnotat, se etiam similes tumores ad olecranon & ad patellam vidisse, & ad sanationem iisdem remediis deductos fuisse; fatetur se nomen dare non audere huic tumoris, sed opinatur in membrana cellulosa vitium probabiliter hære, & oedematose esse indolis (*b*). Ignoravit igitur hæc marsupia; etiam non attendit equis frequens esse vitium ex pressione ferramentorum, quibus eorum ungulae prospiciuntur præsertim ubi in stabulis arctis decumbere debent.

(*a*) Tom. II. p. 161. 162 & 163.

(*b*) Ib. p. 166.

§. III. *Winslowus*, nisi fallor, primus fuit, qui membranaceas illas bursas detexit, & curate descripsit, quæ sub musculis, qui super duriores partes moventur, sub deltoide, sub iliaci interni & psoarum tendinibus, sub obturatore interno, aliisque.

Hac similiter rore & limpidissimâ lymphâ mobilitatem conservant, quibus auctus tumor rigiditatem & immobilitatem producit. Sub deltoide semel vidi ex lapsu natum tumorem; humerus fomentis fuit curatus & sanatus naturæ potius quam medicamenti beneficio. Ad profunditatem eam quippe remediis externis penetrare non licet.

§. IV. Collectiones nunc aquosas, nunc subpurulentas, magnas, aliquando sub majoribus musculis videre contingit: sub pectorali dextro viri adulti ingentem humorem indolentem cum fluctuatione observans, & metuens, ne forte sanguinem extravagatum contineret, acu cannulatâ perfodi, & limpidam eo cum successu evocavi aquam, ut postea sanatus fuerit, injectâ aptâ deligatione, spicâ ad mammae.

Cl. Gooch per incisionem plusquam pintam lymphæ inspissatæ evacuavit sub recto cruris, & setaceo deinceps tumorem spatio duorum mensium sanavit (*a*).

Egregius fidelissimusque Chirurgus *Wiseman* (*b*) narrat, tumorem ingentem in dorso feminæ 25 annorum scalpello apertum, aquæ multum, etiam melleæ consistentiæ dedisse humorum; qui postea adglutinatione sanatus fuit; nullus dubito, quin sub latissimo dorsi humor effusus fuerit.

Memini, me etiam in sinistra parte dorsi juvenis ante aliquot annos ingentem similiter, indolentemque, & fluctuantem vidiisse tumorem, qui meo jussu scalpello apertus exhibuit multum serosi ac subpurulenti humoris; compressione tumor deinde æque atque in casu à *Wiseman* relato per adglutinationem sanatus est.

(*a*) Ib. Tom. II. p. 259.

(*b*) Chir. treat. Vol. I. p. 205 & 206.

§. V. In vaginis tendinum longiorum, præprimis cubiti & manus, interdum etiam pedis, tumores oriuntur ex lymphâ in eorum membranaceis vaginis collectâ; qui, quoniam indolentes sunt, foeditate solâ molestiam creant, maximè in dorso manus; si quando sub cubiti muscularis contingent, immobilitatem & rigorem producunt.

Nemini ignotum esse potest, tumores hos, sive in dorso manus contingant, sive super digitos, quorum exempla à *Warnero* (a) in medium feruntur, vocari *ganglia*, ab *Avicenna luppias*, etiam à *P. Franco*, quorum sanationem compressione per laminam, seu per discum plumbi fieri posse *P. Egineta* (b) & *Oribasius* (c) contendunt, etiam per scalpellum.

P. Franco (d) autem iustum cum forti cochleari, vel ligno solido commendavit, quo rumpatur membrana, & dissipetur humor. *Mekrenius* (e) iustu solo hæc ganglia sananda voluit. Nullus dubito, quin dissipatus humor sic resorberi possit; Chirurgia vero mihi nimis crudelis & incerta videtur, quam ut serio commendari possit: accidit ancillæ in domo meâ, ut ex scalâ delapsa in ganglion manus, cuius curationem per iustum recusaverat, ex hoc ipso infortunio sanaretur.

Incisione vero & punctione tentari potest sanatio, si iustum reformidant delicatulæ, verum cicatricem super dorsum manus inde necessario orituram æquabiliter metuunt nitidiores puellæ. Nunquam igitur sanationem recipiet vitium, quod externis remediis cedere nescit.

Cl. Warnerus integrum curationem molitus est (f) scalpello, sanavitque ingens ganglion intra manum virginis 19 annorum, 6 septim. spatio, etiamsi ligamentum carpi internum dividere coactus fuerit. Vidi anno 1767, in sexagenario simile ganglion, seu potius tumorem cysti-

(a) Caser in Surgery Obs XVII.
P. 67.

(b) Lib. IV. C. XVI. p. 508. &
Liber. VI. C. XXXIX. p. 566.

(c) Lib. VII. C. XLIV. p. 316.

(d) Ib. p. 470.

(e) Cap. LX. p. 371.

(f) Ib. p. 64 & 65.

cum sub tendinibus muscularum flexorum sublimis & profundi cubiti sinistri, non procul à carpo. Dolebat is non ex se, sed propter motum impeditum. Empl. è sapone cum sale ammoniaco dissipavit humorem, licet non omnem, tamen satis, ut liberè uti manu potuerit senex. Ictus vehemens tamen hic idem, quod in manus dorso, efficere potuisset; incisio autem cum scalpello secundum decursum fibrarum tutior foret; acūs adactio similiter commendabilis fuisset.

C A P U T . S E P T I M U M.

De Hydropo articulorum & melicera.

§. I. INTRA omnes articulos humor gelatinosus, spissus, aquosus sine odore aut sapore à glandulis secernitur, quo lubricitas partium suprà se invicem movendarum egregiè sustinetur. Vocatur synovia & liquor *Haversii*, quia *Havers* de industria ejus secretionem per glandulas intrà capsularia ligamenta, vel articulorum cava sitas, descripsit.

Humor ille per poros osseos ex medullâ non provenit, quemadmodum olim credebatur; nam articuli plerarumque avium, licet ossa medullam nullam sed aërem contineant, veluti in aquilis, ciconiis, urogallis, otibus, similibusque, hæc synovia æque atque in quadrupedum articulis repetitur. *Hippocrates* mucorem adpellavit, & *Fabricius ab Aquapendente* (a) pituitosum humorē, quotiescumque synovia copiâ peccabat, quemadmodum sæpiissimè genu accidit. Tumor inde oriundus, etiam hydrarthros vel articuli hydrops vocatus, ab *Hildano* egregiè descriptus & divisus fuit in hydrarthrum mitem & acutum, cui meliceria nomen dedit, quamquam *Celsus* meliceram voca-

(a) De Chirurg. oper. C. VI. p. 642.

cum sub tendinibus musculorum flexorum sublimis & profundi cubiti sinistri, non procul à carpo. Dolebat is non ex se, sed propter motum impeditum. Empl. è sapone cum sale ammoniaco dissipavit humorem, licet non omnem, tamen satis, ut liberè uti manu potuerit senex. Ictus vehemens tamen hic idem, quod in manus dorso, efficere potuisset; incisio autem cum scalpello secundum deversum fibrarum tutior foret; acūs adactio similiter commendabilis fuisset.

C A P U T . S E P T I M U M.

De Hydropo articulorum & melicera.

§. I. INTRA omnes articulos humor gelatinosus, spissus, aquosus sine odore aut sapore à glandulis secernitur, qua lubricitas partium suprà se invicem movendarum egregiè sustinetur. Vocatur synovia & liquor *Haversii*, quia *Havers* de industriâ ejus secretionem per glandulas intrà capsularia ligamenta, vel articulorum cava sitas, descripsit.

Humor ille per poros osseos ex medullâ non provenit, quemadmodum olim credebatur; nam articuli plerorumque avium, licet ossa medullam nullam sed aërem contineant, veluti in aquilis, ciconiis, urogallis, otibus, similibusque, hæc synovia æque atque in quadrupedum articulis repetitur. *Hippocrates* mucorem adpellavit, & *Fabricius ab Aquapendente* (a) pituitosum humorem, quotiescumque synovia copiâ peccabat, quemadmodum səpissimè genu accidit. Tumor inde oriundus, etiam hydrarthros vel articuli hydrops vocatus, ab *Hildano* egregiè descriptus & divisus fuit in hydrarthrum mitem & acutum, cui meliceræ nomen dedit, quamquam *Celsus* meliceram voca-

(a) De Chirurg. oper. C. VI. p. 642.

verit. *maxima ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos lœsi sunt, & inter hæc loca, maximè ex genibus* (a).

Clauditas, infantibus adeò frequens, plerumque ex hydrarthro acetabuli, seu ex pituitoso humore oritur; verum, quoniam exitum diversum hæc vitia habent, de hydrarthro benigno genu primum, deinde de clauditate, tandem de melicera seu articuli carie agam.

§. II. Ex iectu, nisu, lapsu & similibus hydrarthros genu contingit viris, feminis & pueris; in quibus omnibus vi. iùm illud curavi; est enim satis frequens, nullo modo dolens, dum pes quiescit, sed immobilitatem articuli secum trahit semper, præsertim in initio, & ubi multo- perè tumet genu, nec mirum, quoniam musculi tibiam extēndentes & patellæ inserti omnem mechanismum amiserunt. In aliquibus tibiæ pars summa dolet internè ex ligamenti lateralis & interni tensione.

Difficillimè vero externis discutientibus ita sanatur, ut non redeat. Ita nobili viro, cuius curam habui, plus deciès malum rediit, totiesque resorptus fuit humor simplici ad applicatione sp. vini camphorati, quiete, & fasciæ, testudinis ad genu vocatæ, injectione. Hucusque nullum adeò pertinax vidi, quod his & similibus non cesserit.

In *Angliâ* hodiè præprimis absorptionem moliuntur per mercurii inunctionem, ita *Cl. Cruikshankius* (b) aliquandò sanatum vidit hydrarthrum; *Purmannus* verò attentus, nec minus peritus superioris sæculi Chirurgus, memorie prodidit (c), feminam 53 annor., quæ ingenti hydrarthro genu per 7 annos laboraverat, salivationem mercurialem sine ullo sensibili effectu subiisse. Nullus tamen dubito, quin sub frictione mercuriali aliquando sanatus fuerit articuli hydrops; sed utrum ab hydrargo? Majori confirmatione eget. *Cruikshankius* similiter notat (d) per vomitum fortè synoviam ex articulo genu fuisse resorptam;

(a) Lib. V. C. XXVI. §. XX, p. 188.
& 189.

(b) Ib. p. 170.

(c) Ib. p. 622.
(d) Ib. p. 166 & 167.

quod nequaquam demiror, quoniam sèpè solà quiete & spirituoso medicamento extermè adplicato humorem hunc resorptum vidi.

Ubi vero hydrarthros mole suâ articulum genu immobilem reddit, neque externis cedit remediis; incisione vel punctionâ, terebrâ cavâ evacuandum esse arbitror; neque metuere oportet aponeuroses illas varias, quibus genu tegitur, & quas perforare vel scalpello dividere tenemur; anno enim 1767 cum Chirurgo expertissimo Q.... ex articulo dextro genu viri 25 annor., incisione factâ in parte externâ, extraxi concrementum lapideum figuræ lenticularis, magnitudinis pollicis, quod adhucdùm conservo. Sanabatur brevi æger absque ullo pravo symtome, argumento, incidi & perpungi membranaceas has & aponeuroticas partes absque ullo periculo. *Pechlinus*, qui concrementa illa egregiè exposuit, *mures* vocavit, quoniam nunc extrorsum se manifestant, nunc iterum se abscondunt, & intra articulum quiete delitescunt; aliquando subito denuo in motu articuli dolorem summum creant & molestiam. In vivis concrementa ea sèpiùs observavi in articulo genu, etiam ex masculini cadaveris cubiti articulo cum humero, simile albicans & solidum concrementum ante 26 annos extraxi.

Evacuatione hydrarthri factâ, medicamina non tantum, sed resorptionis organa non amplius ultrà modum distenta officio suo, debito more, fungi possunt.

Purmannus tumori feminæ, quæ, uti suprà monui, salivationem mercurialem sine ullo levamine perpetua erat, causticum adplicuit, quod, æcharâ lapsâ, quarto die aquæ multæ, spissæ, lactei coloris exitum conciliavit. Singulis deligationibus deinceps insignis copia effluxit, donec cataplasmatibus & emplastris vitium adjutum octo septimanatum spatio omne sanatum fuit (a).

S. III. Majoris momenti est claudicatio, quæ à tenerâ

(a) Ib. p. 613.

infantiā ex ferosā colluvie, adeoque ex hydrarthro in articulo coxae contingit. In urbe vicinā clauditas adeò frequens est in infantibus, maximè puellis, ut ex 28 unus claudus reperiatur, cujus causam detegere mihi nondum licuit.

Admiratione autem dignum est, urbes varias singulis corporis vitiis esse obnoxias, ita *Hamburgi* omnis generis deformitates observavi, *Berolini* cyphoses non modo inter pauperes, sed inter divites. *Parisii & Londini* puellarum trunci ob thoraces balenaceos horribiliter deformes sunt, in primis nobiliorum, sed in viam redeundum.

Hydrarthros acetabuli primum capsulam, caput ossis femoris cum ejus collo amplexantem, implet, distendit & caput ossis femoris lente ex sua sede expellit, disrupto tandem ob nimiam extensionem ligamento tereti. Frustrà mihi *Galenus* statuisse videtur, ex rupturâ hujus ligamenti claudicationem oriri, quum ex luxato capite & ejus de sede sua dimotione tandem disrumpatur, adeoque ruptura non causa, sed clauditatis effectus sit. Dantur etiam simiae, quae naturaliter ligamenta illa teretia non habent, sed capita ossium femorum glabra, & tamen ideo non claudicant. Caput ossis femoris ex sede suâ lapsum, ut plurimum, sursum & retrorsum adscendit supradictum ilium superficiem externam inter gluteos; in plerisque pedetentim novum acetabulum formatum: ligamentum capsulare subinde fit crassius & valeptius, idque cum obturatoribus femoris caput similiter retinet, quantum fieri potest, ita ut omne pondus corporis his duobus musculis & ligamento capsulari sustineatur. Pedetentim inde ischium cum vicino osse pubis extrorsum flectitur, unde pelvis quidem aliqua deformitas, sed major amplitudo, atque partus facilior, & multò facilior, quando ex utroque latere claudicant feminæ. Nec mirum; nam angulus ossium pubis ea ratione major sit, & pelvis profunditas minor, qua propter & citius & facilius caput fretus transit.

Genu interea vertitur introrsum, gracilescit crus, &c.; quoniam nervi crurales nimium tenduntur, &c. Hac omnia

omnia symptomata ex mutato mechanismo centenis claudorum ossibus ad oculum demonstrare queo. Clauditatis naturam interim optimè omnium novit, & adcuratissimè descripsit *Hippocrates*, qui doctrinam claudorum & gibbosorum tam egregiè exponere non potuisset, nisi in *Græcia*, & in ipso orbis cogniti centro, sub cælo temperatissimo tum temporis, &que atque in septentrionalibus oris homines his vitiis frequenter fuissent adfecti.

Clauditas vero ex colluvie serosa seu hydrarthro in infantiâ natâ fatis tolerabilis est.

Verum ubi ex internâ contusione contingit, quam suppuratio insequitur, tenelli ossis cartilago in summâ parte priùs, dein caput ipsum corruptitur, consumiturque aliquando totum unâ cum collo; ossium horum *Morgagnus* descriptionem dedit; ipse etiam in museo meo similia possideo, in claudorum etiam cadaveribus, quæ ad vitium illud intimè cognoscendum dissecui, omnia illa phænomena observavi, atque admirabilem musculorum nervorumque aberrationem ad objecta ipsa magnâ curâ delineavi.

In vivis aliquando horribilia symptomata nata vidi ex distensione illa ligamentorum, dolorem acutissimum v. gr: & fistulas diversas diù saniem stillantes, cetera quæ omnia tractu temporis desinunt, & præter clauditatem perpetuam, non multum mali post se relinquunt.

Ruychius, quicquid dicat *Morgagnus*, clauditatis mechanismum non intellexit. Loquor de clauditate maximè vulgari, ex instillatione mucoris vel synoviæ, id est, ex hydrarthro natâ. Non equidem nego, os femoris in collo diffungi posse; harum enim fracturarum aliquot specimina in museo meo adservo; vidi plera apud alios.

Os femoris agni ita diffractum servo, cuius epiphysis, intrâ acetabulum soluta à reliquo capite, hærebat: verum fractura colli ossis femoris clauditatis quotidie obviæ & frequentissimæ non est caussa, sed luxatio, quam etiam confundere non oportet cum subitanè illâ adultis luxa-

tione, licet raro, accidente, cuius *Celsus* (a) tamquam ab *Hippocrate*, *Philotino*, *Diocle*, *Nito* & *Heraclide*, *Tarentino* ex toto restitutæ mentionem fecit, cuiusque hodie etiam aliquot casus singulari cum felicitate repositos novimus.

§. IV. Ad sanationem hydrarthri acetabuli progredior, quæ est ex difficillimis; nam adeo profundè situs est articulus, & valentissimis tot nervis muscularisque undique obtectus, ut nullibi accessus detur medicamentis externis, & ab internis non multum sperandum sit, nisi vomitum, hydræga & mercuriales frictiones experiri velimus.

Lentè autem adeò in quamplurimis procedit claudicatio, ut in primâ infantiâ vix visibilis debilitati muscularum ut plurimum adscribatur; pedibus vero magis incrementalibus, adfecto semper breviore manente & macilentiore, claudicatio tertio quartove ætatis anno manifesta evadat, & simul incurabilis.

Ubi vero multoperè foras & extrosum expellitur caput ossis femoris, ubi cum dolore intensissimo progeditur, & fistulas minatur, sape credibile mihi visum fuit, posse extrahi aquam incisione & terebrâ concavâ, si ex arte adigeretur.

De industriâ igitur locum in cadavere quæsivi, quo perforari posset capsula absque ullo periculo: *Estque hic inter sartorii musculi & tensoris vaginæ femoris partem superiorem, paulo supra oram superiorem trochanteris majoris ossis femoris adfædi.* Acus cannulata ibi adigi deberet horizontaliter, dirigendo cuspidem versus centrum ipsius pelvis.

Probabilior fortè esset Chirurgia, si incisio verticalis, in loco memorato, facta, scalpello satis forti, produceatur usque in ligamentum capsulare, mucore turgidum, sed valens & tenax.

Intervallum inter musculum iliacum & sartorium qui-

Hem aptius videtur ; evitandum verò propter nervorum cruralium truncum ibi discurrentem.

Adhibere oportet Chirurgiam hanc , antequam acetabulum ipsum osse repleatur , quod subito contingit , quemadmodum ex *Lieutaldi* (a) & *Haenii* observationibus patet. Contrahitur autem acetabulum , & ejus margines paulatim annihilantur simili modo , quo dentibus lapsis alveoli pereunt.

s. V. Ad meliceram seu ad acutum hydrarthrum progressior , qui omnibus articulis contingere potest , quamquam circa genu frequentissime observetur ; vidi eam inter carpi & radii ossa , inter ulnam & humerum , etiam in ipso humeri articulo. Est autem melicera hydrarthros cum ligamentorum lesionē seu diaftasi , unde dolor acutus in internā genu parte à fatigato nimium ligamento laterali , os femoris cum tibiā uniente. Superaccedit ferè semper inflammatio , quæ subito ichorem saniemque creat intrà articulum , unde cartilaginis patellæ ossis femoris & tibiæ erosio , caries & ligamentorum omnium internorum destructio sine ulla cutis decoloratione , quapropter tumor albus à medicis *Britannis* vocatur.

Diuturnitate temporis fistulæ diversæ foras saniem evomunt , aliquando os tibiæ intumescit , fungosumque ac fistulosum evadit ; æger tandem post intolerabiles dolores & internam suppurationem hecticus moritur.

In initio totus pes supra genu amputandus esset , id est , simul atque cariei indicia sese manifestant ; posteà enim frustrà fit ; quoniam pus absorptum tabem universalem efficit , ex quâ etiam post hanc Chirurgiam citius moriuntur. Nullum novi vitium magis deplorandum ob dolores acutissimos & continuos , quos ex minimo etiam genu motu æger percipit. Conservo inter ossa vitiata varia diversarum harum melicerarum specimina , quæ omnia vitium insanabile declarant.

Paucis his, Viri Illustrissimi ! quæstioni clarissimi *Menureti* abunde me respondisse arbitror. Si palmarum merere potest hæc qualiscunque dissertatio, gaudabo ; trahimur enim omnes laudis studio. Si vero commilitonum meorum industriâ in enodandâ hac difficiili materiâ fuit laudabilior, ex eorum lucubrationibus meam cognitionem ampliorem reddam, gratulaborque mihi, me aptioribus remediis atque magis probabili doctrinâ instructum ægris meis fore utiliorum & magis gratum !

Vobis interea, Viri Illustres & per orbem universum celebres ! fausta quæcunque ex animi sententiâ adprecor.

Dabam ex museo meo ad Calendas Februarium
M. DCC. LXXXII.

Ne medicina quidem morbos insenabiles vincit,
tamen adhibetur aliis in remedium, aliis
in levamen.

